22 G 201

Dr. B. F. Davenport

Boston,

Reviewed Pharm. Zeitung
12 März 1884 seite 1.

PHARMACOPŒA GERMANICA.

EDITIO ALTERA.

BEROLINI.
APUD R. DE DECKER
MARQUARDT & SCHENCK.

MDCCCLXXXII.

BOSTON MEDICAL
MAR 27 1917
LIBRARY

BEKANNTMACHUNG,

BETREFFEND DIE

PHARMACOPŒA GERMANICA.

EDITIO ALTERA.

Auf Grund eines vom Bundesrath in seiner Sitzung vom 5. Juli d. J. gefassten Beschlusses wird hierdurch bekannt gemacht, dass das demnächst im Verlage der R. von Deckerschen Verlagsbuchhandlung (Marquardt & Schenck) zu Berlin unter dem Titel: »***Pharmacopœa Germanica. Editio altera***« erscheinende Arzneibuch mit dem 1. Januar 1883 an die Stelle der seit dem 1. November 1872 (siehe

die Bekanntmachung vom 1. Juni 1872 — Reichsgesetzblatt S. 172) in Geltung befindlichen Pharmacopœa Germanica tritt.

Berlin, den 8. Juli 1882.

Der Reichskanzler.

In Vertretung:

gez. Eck.

PRAEFATIO.

Pharmacopoeae Germanicae editionem priorem ad id, quod ei propositum est, jam non sufficere, quicunque ea usi sunt, annis vertentibus sibi persuaserunt. Itaque Consilium Foederis Germanici, a Cancellario Imperii Germanici quid de hac re judicaret interrogatum, die VI. mensis Junii a. MDCCCLXXVIII in hanc sententiam dixit, nihil se dubitare, quin hunc codicem recenseri oporteret.

Quae cum ita essent, consilium, quod constabat e sex clinicis, sex medicis, sex pharmacologis, sex artis chemicae peritis, sex pharmacopoeis, duobus denique medicis militaribus ordinis superioris et uno pharmacopoeo militari supremo, a summo rei militaris in Borussia Administratore legatis, convocatum et jussum est, ad Consilium Foederis condiciones

ferre, qua ratione codicem medicamentarium a. MDCCCLXXII editum mutandum atque supplendum censeret.

Quibus viris delectis ut aliquid praeberetur, unde profectis iis negotium bene ac prospere succedere posset, Cancellarius Imperii Germanici singulas civitates Foederis Germanici adiit rogavitque, ut primum cum universos homines in arte medica et pharmaceutica prudentes, tum maxime clarissimum et spectatissimum quemque ex magistratibus, quibus cura rei medicinalis delata est, deinde ex praeceptoribus, qui in universitatibus litterariis hanc disciplinam tradunt, ex clinicis denique et pharmacopoeis de hac re judicium facere juberent: quae dubitationes quaeque vitia in utenda Pharmacopoea, qualis ad id temporis erat, apparuissent et quatenus, ex quo hic codex primum in lucem prodisset, copia medicamentorum aucta esset.

Quo facto sententiae, quae harum civitatum hortatu dictae sunt, assumptis quaecunque utilia aliunde monita erant, selectae digestaeque et in idoneum ordinem redactae, consilio illi ad perscribendam Pharmacopoeam constituto quasi fundamento deliberationum fuerunt.

Quod consilium, talibus adjumentis instructum, cum deliberare coepisset, mox animadvertit, medicamentorum, quae priore editione continentur, non pauca ex Pharmacopoea removenda esse, quippe quae ad sententias opinionesque, quae quidem hoc tempore apud homines artis medicae peritos vigerent, jam parum essent accommodata; neque minus manifestum factum est, fieri non posse, ut nova medicamenta reciperentur, nisi quae vitae cotidianae utilissima esse non modo via atque ratione sed etiam usu atque experientia comprobatum esset.

Praeterea apparuit, eas res, quae singulis Pharmacopoeae capitibus exponuntur, partim aliis verbis dicendas, partim aliter disponendas esse, in iisque quae cuique medicamento propria essent accuratius explicari et quibus rationibus melius rectiusque examinari possent adjici debere, si facultas facienda esset certo explorandi, num medicamenta, qualia in officinis prostarent, ea, qua oporteret, natura ac bonitate essent.

His autem cognitis, cum viae, quibus in negotio exsequendo insistendum foret, quasi praemonstratae essent, uno omnium consensu hoc utrumque statutum est, prius, decreta magis in universum spec-

tantia, a quibus initium factum erat, simulque indicem medicamentorum dignorum quae aut rejicerentur aut nova reciperentur, publici juris facienda esse; deinde eos, qui ejusmodi rerum periti sunt, rogandos esse, ut quid de iis judicandum censerent eloquerentur. Qua re effectum est, ut iterum materia copiosa atque varia pararetur, in qua congerenda plurimis societatibus medicorum et pharmacopoeorum, quae in Germania extant, suam partem habere licuit.

Accedit, quod, altero quodam consilio ex medicis reique veterinariae curatoribus separatim convocato, hoc etiam dijudicatum est, quae qualiaque ex medicamentis, quae non faciunt nisi ad usum veterinarium, huic codici inserenda essent.

Denique consilium ad perscribendam Pharmacopoeam constitutum necesse habuit, chemicos et pharmacopoeos, qui ipsius socii essent, singula capita ita tractare, ut artem criticam quam subtilissimam adhiberent, quin etiam, si res postularet, experimenta instituerent: quae quidem res prosperrime illis successit.

Iis vero adhibitis, quae hoc modo congesta et tam diligenter praeparata erant, ut fere nullam rei propositae partem intactam relinquerent, consilium

iterum convocatum id, quod mandatum erat, jam re vera ad finem perduxit.

Quibus viris diutius accuratiusque considerantibus, Pharmacopoea Germanica qua ratione emendari et recenseri deberet, cum multa, tum haec maxime digna visa sunt, quae nunquam non in conspectu haberentur.

Atque primum quidem — inquiunt — intellexi-mus, res easdem iisdem semper vocabulis appellandas singulorumque argumenta capitum eadem ratione disponenda esse. Quod cum persuasum haberemus, in singulis medicamentis tractandis ita semper processimus, ut priore cujusque capitis paragrapho, quibus notis et indiciis quodque medicamentum insignitum esset, enarraremus, altera, qua natura, puritate, similibus esse oporteret. In tractandis substantiis crudis eandem rationem tenuimus. Capita, quae ad artem chemicam pertinent, ita instituimus, ut, initio facto a nomine, quod vulgo usurpatur, si res postularet, ad praeceptum pergeremus, quo modo id, de quo quaeritur, medicamentum parari oporteret; deinde exposuimus, quae ejus essent proprietates tam physicae quam chemi-

cae; tum reactiones quae vocantur identitatis proposuimus; tum quo modo medicamenta examinari deberent — qua puritate essent, quales reactiones praeberent —; denique qua ratione servanda essent, cui praecepto, ubicunque e re esse videretur, doses maximas et singulas et pro die subjecimus.

Substantias chemicas quatenus cum aliis commixtas esse per leges liceret, quoad ejus fieri potuit, constituimus.

Neque junctionibus chemicis formulas addidimus neque tabulam confecimus, qua pondera atomorum in conspectum darentur.

In apponendis nominibus Latinis plantarum atque animalium hanc legem servavimus, ut auctorum nomina, cum nobis multum diuque cogitantibus ad id, quod huic Pharmacopoeae propositum est, nullius viderentur momenti, addere supersederemus.

Corporum chemicorum crystalla qua essent forma, non adjecimus, nisi cum ad usum cotidianum necessarium videbatur.

Medicamenta quemadmodum servari deberent, praecepturis nobis plerumque satis fuit, earum rerum rationem habuisse, ad quas in tabulis B et C

componendis animum advertimus. Sic enim judicare nos debere propterea arbitrati sumus, quod plerique nostrum hoc persuasissimum habebant, ea quae de medicamentorum natura ac bonitate praecipiuntur, severiora esse, quam ut illa parum apte servari possent, et si quid in hac re neglegentia peccatum esset, examinatione, sicut praeceptum est, instituta, certo sciri posse. Interdum autem necessarium duximus adnotare, hoc illudve medicamentum oportere a luce remotum servari; sed qua ratione id fieret, arbitrio pharmacopoeorum permisimus.

Ea medicamenta, quae in Pharmacopoeam recipi e re veterinaria erat, nota apposita insignire non curavimus. Quorum quae ad usum dumtaxat externum destinata sunt, num satis pura essent, examinare non necessarium visum est.

Synonymis addendis capitum inscriptiones augere noluimus: enimvero aptius visum erat, indicem, quo omnia synonyma continerentur, extremae Pharmacopoeae subjicere.

Ut facilius cognosceretur, quae cuique medicamento propria essent, in textu indicavimus, quatenus hoc illudve solvi posse via ac ratione exploratum esset. Contra ea solutionum rationes, quae

ad usum cotidianum pertinent, numeris idoneum in modum rotundatis, in tabula separata enumeravimus.

De singulis reactionibus, quae identitatis appellantur, quoad ejus fieri potuit, seorsum disseruimus.

Quod ad rationes examinandi attinet, eas semper praetulimus, quae factu faciliores eaedemque certiores sunt; propterea in instituenda analysi mensuram in dimetiendo adhiberi jussimus, ubiubi pondere dimetiens id, quod propositum est, neque certius neque celerius assequi potes.

Ubicunque examinari debet, num qua substantia eadem corpora contineantur, eadem plerumque ratio per totam hanc Pharmacopoeam tenetur.

Omnino autem, cum fieri potuit, id studuimus, ut quam curiosissime statueremus, quam concentratae solutiones esse deberent — in praeparatis examinandis etiam hoc, quantum cujusque reagentis admisceri oporteret —, neque minus, quae (turbationes, sedimenta, colorationes, similia) reagentibus adhibitis efficerentur.

Relinquitur, ut eos, qui hac Pharmacopoea usuri sunt, haec moneamus:

1. Ponderum, quae in textu indicantur, gramma est unitas; in mensuris vero indicandis notas, quae sunt m, dm, cm, mm, in promiscuo habere decrevimus.
2. Ubi quae sint rationes solutionum indicatur, cum dicimus 1 = 10, 1 = 20 similia, hoc significamus, substantiae partem unam in liquoris partibus novem vel novem et decem solvi oportere.

   Reagentia, quae in textum recepimus, si aut quae solutionis sit ratio non diserte indicatur aut nomen tantum reagentis affertur, semper ad solutiones, quales praecipiuntur in tabula reagentium, referri volumus.
3. Ubicunque pondus specificum alicujus ex medicamentis, quae in tabula ponderum specificorum enumerantur, intra certos terminos fluctuare licet, huic medicamento idem conceditur in omnibus, qui in hac tabula enarrantur, caloris gradibus.
4. Ubicunque in hac Pharmacopoea vox Aquae legitur, semper, etiam in Infusis Decoctisque parandis, Aqua destillata adhibenda est.

5. Numeros, quibus calor indicatur, de thermometro Celsiano intellegi volumus.
6. Ubiubi quanto calore substantiae examinari debeant non diserte indicatum est, calor 15° intellegitur.
7. In componendis Extractis, Speciebus, Tincturis, Unguentis, id genus aliis semper observantor praecepta ea, quae capitibus in universum spectantibus traduntur.
8. Ad praeparata pharmaceutica efficienda, nisi alia ratio diserte praecepta erit, plantas exsiccatas semper adhiberi oportet.

Berolini, die XXXI mensis Martii a. MDCCCLXXXII.

BOSTON MEDICAL
MAR 27 1917
LIBRARY

Acetum.

Liquor limpidus, coloris paene expers vel flavus, saporis acidi, odoris spinosi, qualis est Acidi acetici.

Acetum sit limpidum. Aqua hydrosulfurata ne turbetur. Cujus *grammata viginti*, cum *centimetro cubico dimidio* Solutionis Baryi nitrici et *centimetro cubico uno* Liquoris Argenti nitrici volumetrici commixta, si filtraveris, ne Chlorum neve Acidum sulfuricum contineant. *Voluminibus duobus* Aceti cum *volumine uno* Acidi sulfurici commixtis et cum *volumine uno* Solutionis Ferri sulfurici per strata disjunctis, zona intermedia fusca ne oriatur. *Grammatis centum* Aceti evaporatis, residuum *gramma unum et dimidium* ne excedat neve saporem acrem praebeat; cinerem efficiat reactionis alcalinae. Aceti *partes centum* contineant *sex* Acidi acetici, ut *grammata decem* Aceti *centimetros cubicos decem* Liquoris Kalii hydrici volumetrici saturent.

Acetum aromaticum.

Olei Lavandulae *partem unam*	1,
Olei Menthae piperitae *partem unam*	1,
Olei Rosmarini *partem unam*	1,

Olei Juniperi *partem unam* **1,**
Olei Cinnamomi *partem unam* **1,**
Olei Citri *partes duas* **2,**
Olei Caryophyllorum *partes duas* **2,**
Spiritus *partes trecentas* **300,**
Acidi acetici diluti *partes quadringentas quinquaginta* **450,**
Aquae *partes mille ducentas* ..... **1200.**

Oleis in Spiritu solutis, deinde Acido et Aqua additis, mixturam turbidam per aliquot dies ita sepone, ut interdum conquasses; tum filtra.

Sit liquor limpidus, coloris expers, odoris aromatici, acidi; Aqua quavis proportione mixtus ne turbetur; pondus specificum sit 0,987 ad 0,991.

Acetum Digitalis.

Foliorum Digitalis *partes quinque* **5,**
Spiritus *partes quinque* **5,**
Acidi acetici diluti *partes novem* **9,**
Aquae *partes triginta sex* ..... **36.**

Folia, minutim concisa et liquoribus superfusa, per dies octo in lagena clausa saepius conquassando macera, tum exprime et filtra.

Liquor limpidus, coloris e subfusco flavi, saporis acidi et peramari, odoris aciduli.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 2,0.
Dosis maxima pro die 10,0.

Acetum pyrolignosum crudum.

Liquor fuscus, Picem liquidam idemque Acidum aceticum redolens, saporis acidi et subamari; servando substantias Pici liquidae similes demittit.

Hoc Acetum, *volumine aequali* Aquae dilutum, Baryo nitrico vix turbetur, Aqua hydrosulfurata ne mutetur. *Partes centum* ne contineant minus quam *sex* Acidi acetici, ut *grammata decem* Aceti pyrolignosi crudi non minus quam *centimetros cubicos decem* Liquoris Kalii hydrici volumetrici ad saturandum requirant.

Acetum pyrolignosum rectificatum.

Liquor coloris expers vel subflavus, limpidus, et odoris et saporis empyreumatici, acidi; ne turbetur Baryo nitrico, neve Aqua hydrosulfurata; neve contineat in *partibus centum* minus quam *sex* Acidi acetici, ut *grammata decem* Aceti pyrolignosi rectificati non minus quam *centimetros cubicos decem* Liquoris Kalii hydrici volumetrici ad saturandum requirant.

Acetum Scillae.

Bulbi Scillae siccati *partes quinque* **5,**
Spiritus *partes quinque* **5,**
Acidi acetici diluti *partes novem* **9,**
Aquae *partes triginta sex* **36**

macera per triduum, sicut in Aceto Digitalis parando

praescriptum est; inter colandum cave ne vehementius exprimas.

Liquor limpidus, subflavus, saporis acidi, deinde amari, odoris aciduli.

Grammata decem Aceti Scillae *centimetros cubicos octo et dimidium* Liquoris Kalii hydrici volumetrici ad saturandum requirant, id quod *5,1* Acidi acetici in *centum partibus* respondet.

Acidum aceticum.

Liquor limpidus, coloris expers, causticus, odoris spinose acidi, saporis peracidi, volatilis, frigore rigescens; Aqua, Spiritu, Aethere quavis proportione misceri potest. Calore circiter 117° ebullit. Ponderis specifici 1,064.

Ad *centimetros cubicos sedecim* Liquoris Kalii hydrici volumetrici saturandos sufficiat *gramma unum*, id quod *nonaginta sex* Acidi acetici in *partibus centum* respondet.

Centimetris cubicis quinque Acidi acetici cum *centimetris cubicis quindecim* Aquae et *centimetro cubico uno* Liquoris Kalii permanganici volumetrici commixtis, color ruber intra sextantem horae ne evanescat. Acidum, *partibus viginti* Aquae dilutum, ne Baryo nitrico, neve Argento nitrico, neve Aqua hydrosulfurata mutetur.

Acidum aceticum dilutum.

Liquor limpidus, coloris expers, volatilis, et odoris et saporis acidi, ponderis specifici 1,041.

Ne sit odoris empyreumatici. Ad *centimetros cubicos quinquaginta* Liquoris Kalii hydrici volumetrici saturandos *grammata decem* sufficiant, id quod *triginta* Acidi acetici in *partibus centum* respondet.

Centimetris cubicis viginti Acidi acetici diluti cum *centimetro cubico uno* Liquoris Kalii permanganici volumetrici commixtis, color ruber intra sextantem horae ne evanescat. Acidum, *partibus quinque* Aquae dilutum, ne Baryo nitrico, neve Argento nitrico, neve Aqua hydrosulfurata mutetur.

Acidum arsenicosum.

Frusta alba, porcellanae similia vel pellucida; in tubo vitreo caute fervefacta sublimatione aut in massam albam aut in crystalla nitoris vitrei tum octraëdrica tum tetraëdrica convertuntur; cum carbone fervefacta odore alliaceo aufugiunt.

Acidum arsenicosum sit plane volatile, in *partibus quindecim* Aquae fervidae, quamvis tarde, sine residuo solubile. In *partibus decem* Liquoris Ammonii caustici calidi solutum, Acido hydrochlorico abunde addito, colorem flavum ne ducat.

Cautissime servetur.

Dosis maxima singula 0,005.
Dosis maxima pro die 0,02.

Acidum benzoïcum.

Lamellae vel crystalla acubus similia, sublimatione e Benzoë parata, subflava vel e subflavo fusca, nitoris

sericei, odoris benzoïni ejusdemque empyreumatici; in *partibus trecentis septuaginta duabus* Aquae, largiter in Spiritu, Aethere, Chloroformio solubilia, una cum vaporibus Aquae volatilia.

In tubulo vitreo fervefacta primo ita liquescunt, ut liquor flavus vel leviter subfuscus fiat, tum aut plane aut parvo residuo fusco remanente sublimantur.

Solutio aquosa, Ferro sesquichlorato addito, sedimentum amplum, e subfusco flavum praebet, quod Acido sulfurico, secedente Acido benzoïco, dissolvitur.

Acidum benzoïcum, in tubulo exploratorio leviter clauso cum *pondere aequali* Kalii permanganici et *partibus decem* Aquae paulisper tepefactum, si tubulo aperto refrigeraveris, ne Olei Amygdalarum amararum odorem exhalet.

Acidi benzoïci *gramma 0,1,* in *centimetris cubicis quinque* Aquae ebullientis solutum, si, refrigeratione facta, *guttis sedecim* solutionis Kalii permanganici (1 = 200) temperaveris, horis octo circumactis coloris paene expers appareat.

Acidum boricum.

Crystalla coloris expertia, nitida, squamosa, tactu pinguia, in *partibus viginti quinque* Aquae frigidae, *tribus* Aquae ebullientis, *quindecim* Spiritus, nec non in Glycerino solubilia; fervefacta liquescunt et refrigerata massam vitro similem relinquunt.

Solutio aquosa (1 = 50), exiguo Acido hydrochlorico temperata, chartam exploratoriam luteam colore fusco

inficit; solutio spirituosa (1=16) vel glycerinata (1=40) flamma limbo viridi marginata deflagrat.

Solutio aquosa (1=50) ne Aqua hydrosulfurata, neve Baryo nitrico, neve Argento nitrico mutetur; neve Kalio sulfo-cyanato rubicetur, neve, Liquore Ammonii caustici abunde addito, colorem caeruleum trahat.

Acidum carbolicum.

Massa neutralis, coloris expers vel vix rubicunda, odoris specialis ejusdemque non insuavis, effectus caustici, volatilis, e crystallis tenuibus, longis, acuminatis composita, calore 35 ad 44° ad liquorem lucem valde refringentem ponderis specifici 1,060 liquescit; calore circiter 180 ad 184° ebullit, flamma alba sine residuo deflagrat, in *partibus viginti* Aquae, in quavis copia Spiritus, Aetheris, Chloroformii, Glycerini, Carbonei sulfurati nec non Liquoris Natri caustici solvitur.

Cujus Acidi *partes viginti*, in *partibus decem* Spiritus solutae, addita *parte una* Liquoris Ferri sesquichlorati, mixturam efficiunt sordide viridem, quae, Aquae *partibus* vel *mille* diluta, colorem belle violaceum, satis constantem trahit.

Bromum quin etiam in solutione, quam ex *una parte* Acidi carbolici et *quinquaginta milibus partium* Aquae paraveris, sedimentum album, flocculosum efficit.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 0,1.
Dosis maxima pro die 0,5.

Acidum carbolicum crudum.

Liquor subflavus vel e flavo fuscus, limpidus, odoris insuaviter empyreumatici, neutralis, in Aqua haud plane, facile in Spiritu et Aethere solubilis, aqua gravior.

Cujus Acidi *volumina decem*, si cum *voluminibus nonaginta* mixturae, ex *partibus pondere aequalibus* Liquoris Natri caustici et Aquae compositae, conquassaveris, residui liquidi aut semiliquidi ne plus quam *volumen unum* relinquant. A quo liquor alcalinus ratione apta separatus et cum Acido sulfurico diluto usque ad reactionem peracidam commixtus, oleum subflavum vel e flavo fuscum expellat, quod reactiones Acidi carbolici praebeat et in Aquae *voluminibus triginta* paene solubile sit.

Acidum carbolicum liquefactum.

Acidi carbolici *partes centum* **100**
et
Aquae *partes decem* **10**
misce.

Liquor limpidus, coloris expers, Acidum carbolicum redolens, in Aquae *partibus octo et decem* limpide solubilis.

Hujus liquoris *grammati uni* tantum Aquae affunde, ut *litra una* expleatur. Cujus solutionis non plus quam *centimetros cubicos 51,6 ad 52,6* consumi licet, ut adnectatur Bromum, quod in mixtione, composita ex *centimetris cubicis quinquagenis* Liquoris Kalii bromici volumetrici et Liquoris Kalii bromati volumetrici, secedit,

si Acidi sulfurici *centimetros cubicos quinque* addideris. Reactionis finem factum esse eo cognoscitur, quod charta bibula, Liquore Amyli volumetrico imbuta, addito liquore filtrato, colorem caeruleum jam non ducit.

Caute servetur.

Acidum chromicum.

Crystalla coccinea, nitida, aëre deliquescentia, vel massa coloris clarius rubri, laxa, lanosa; in Aqua et Spiritu facile solvuntur. Acidum fervefactum colorem obscuriorem ducit et Oxygenium emittens liquescit. Cum Acido hydrochlorico calefactum Chlorum emittit.

Ad usum Acidum chromicum in Aquae *pondere aequali* solutum in promptu habere licet.

Caute servetur.

Acidum citricum.

Crystalla grandia, coloris expertia, diaphana, in aëre persistentia; calore leni dilabuntur, calore circiter 165° liquescunt, candefacta carbonescunt. Cujus Acidi *pars una* ad solutionem Aquae *partes 0,54,* Spiritus *unam,* Aetheris *fere quinquaginta* requirit.

Solutio aquosa, Aqua Calcariae abunde admixta, permanet limpida; fervefacta dat sedimentum album, quod refrigeratum paene prorsus resolvitur.

Solutio aquosa Acidi (1 = 10), addito Baryo nitrico aut Ammonio oxalico, paullum dumtaxat opalescat. Acidum pulveratum et Aqua hydrosulfurata superfusum ne mutetur. Si solutionem Acidi aquosam (1 = 3) solutione Kalii acetici spirituosa temperaveris, ne oriatur sedimentum album, crystallinum.

Acidum formicicum.

Liquor limpidus, coloris expers, volatilis, odoris spinosi, nequaquam empyreumatici, saporis peracidi, ponderis specifici 1,060 ad 1,063. Acidum formicicum, Liquore Plumbi subacetici mixtum, sedimentum album, crystallinum demittit. Idem, Aquae *pondere quintuplici* dilutum, si Hydrargyro oxydato flavo saturaveris, liquorem limpidum efficit, qui fervefactus, gasum evolvens, sedimentum demittit coloris albi, celeriter in griseum abeuntis, ex quo postremo globuli metallici nitidi concrescunt.

Grammata decem Acidi *centimetros cubicos 54,35* Liquoris Kalii hydrici volumetrici saturent, id quod in *centum partibus viginti quinque* Acidi formicici respondet.

Acidum, *partibus quinque* Aquae dilutum, ne Argento nitrico, neve, si Liquore Ammonii caustici neutralisaveris, Calcio chlorato, neve Aqua hydrosulfurata mutetur.

Acidi *gramma unum*, Aquae *grammatis quinque* dilutum, si cum *grammate uno* Hydrargyri oxydati flavi per sextantem horae fervefeceris et filtraveris, liquorem neutralem efficiat.

Acidum hydrochloricum.

Liquor limpidus, coloris expers, calore volatilis. ponderis specifici 1,124; in *centum partibus viginti quinque* Acidi hydrochlorici anhydri continet, Argento nitrico addito sedimentum album, caseosum, in Liquore Ammonii caustici solubile praebet, cum Mangano hyperoxydato calefactus Chlorum emittit.

Acidum, *volumine quintuplo* Aquae dilutum, ne colorem caeruleum ducat, si Liquorem Amyli volumetricum admiscueris, neve Aqua hydrosulfurata mutetur; *parte exigua* Solutionis Acidi tartarici et Liquore Ammonii caustici copioso temperatum, si Liquorem Ammonii sulfurati admiscueris, colorem dumtaxat viridem ducat. Baryo nitrico intra duodecimam partem horae ne turbetur, ne tanto quidem Liquore Jodi volumetrico addito, quantum sufficiat, ut color subflavus oriatur.

Centimetris cubicis tribus Acidi hydrochlorici et *sex* Aquae, quos in tubo exploratorio (*centimetros* fere *tres* amplo) tanta Solutione Jodi temperaveris, ut colorem flavum trahant, nonnulla frusta Zinci adduntur; tum, obturamento Gossypii laxo inserto, tubus scheda chartae bibulae albae clauditur, quae media *una gutta* solutionis Argenti nitrici concentratae (1 = 2) humectatur. Quo facto locus Argento nitrico imbutus ne statim neve semihora circumacta colorem flavum ducat, neve ex circumferentia in colorem fuscum ad nigrum transeat.

Grammata duo Acidi ad neutralisandum *centimetros cubicos 13,7* Liquoris Kalii hydrici volumetrici requirunt.

Caute servetur.

Acidum hydrochloricum crudum.

Liquor limpidus vel opalescens, coloris plus minusve flavi, aëre fumans, ponderis specifici non minoris quam 1,158; in *centum partibus* ne minus quam *viginti novem* Acidi hydrochlorici anhydri contineat.

Caute servetur.

Acidum hydrochloricum dilutum.

Acidi hydrochlorici
et
Aquae
singulorum *partes aequales* misce.

Liquor limpidus, coloris expers, ponderis specifici 1,061, in *centum partibus 12,5* Acidi hydrochlorici anhydri continens.

Acidum lacticum.

Liquor limpidus, coloris expers vel subflavescens, odoris expers, spissitudinis syrupi, saporis pure acidi, ponderis specifici 1,21 ad 1,22; Aqua, Spiritu, Aethere quavis proportione misceri potest. Calefactus cum Kalio permanganico odorem Aldehydi exhalat, ardore forti carbonescit et flamma lucida sine residuo deflagrat.

Acidum leniter calefactum acida sebacica ne oleat, *volumine aequali* Acidi sulfurici admixto ne trahat ullum colorem.

In *partibus decem* Aquae solutum ne mutetur Aqua hydrosulfurata, neve Baryo nitrico, neve Argento nitrico, neve Ammonio oxalico, neve Aqua Calcariae abunde addita, hac ne calefactum quidem.

Acido cum copioso Zinco oxydato in balneo aquae paene ad siccitatem redacto et residuo *partibus tribus* Spiritus absoluti extracto, liquor, quem filtrando effeceris, evaporatus ne relinquat residuum saporis dulcis.

Acidum nitricum.

Liquor limpidus, coloris expers, calore volatilis, ponderis specifici 1,185, *in centum partibus triginta* Acidi nitrici continens. Cuprum metallicum, si una cum Acido calefeceris, vaporibus e flavo rubris aufugientibus in hoc solvitur.

Acidum, *volumine quintuplo* Aquae dilutum, ne Aqua hydrosulfurata, neve Argento nitrico, neve, si Liquore Ammonii caustici in excessu saturaveris et *partem exiguam* Solutionis Acidi tartarici addideris, Liquore Ammonii sulfurati mutetur; Baryo nitrico addito intra duodecimam partem horae tantummodo opalescat.

Acidum, *volumine duplo* Aquae dilutum et cum pauxillo Chloroformii conquassatum, huic colorem violaceum ne inducat, ne tum quidem cum, addita *exigua parte* Stanni raspati, leniter calefeceris.

Grammata tria Acidi ad saturandum *centimetros cubicos 14,3* Liquoris Kalii hydrici volumetrici requirunt.

Caute servetur.

Acidum nitricum fumans.

Liquor limpidus, e rubro fuscus, ponderis specifici 1,45 ad 1,50, vapores suffocantes e flavo rubros exhalans.

Acidum, *voluminibus centum quinquaginta* Aquae dilutum, ne Baryo nitrico, neve Argento nitrico prius turbetur, quam duodecima horae parte peracta.

Caute servetur.

Acidum phosphoricum.

Liquor limpidus, et coloris et odoris expers, ponderis specifici 1,120, in *centum partibus viginti* Acidi phosphorici continens. Natrio carbonico neutralisatus, admixto Argento nitrico, sedimentum praebet flavum, in Liquore Ammonii caustici et in Acido nitrico solubile.

Acidum Argento nitrico ne frigore aut calore turbetur, neve Aqua hydrosulfurata — ne longiore quidem temporis spatio interjecto — mutetur, neve, Aquae *volumine triplici* dilutum, aut Baryo nitrico aut, Liquore Ammonii caustici abunde addito, Ammonio oxalico statim turbetur. Cum Spiritus *volumine quadruplo* commixtum limpidum remaneat. *Voluminibus duobus* Acidi cum *volumine uno* Acidi sulfurici commixtis et cum *voluminibus duobus* Solutionis Ferri sulfurici per strata disjunctis, zona intermedia fusca ne oriatur.

Acidi phosphorici et Acidi sulfurici diluti *singulorum centimetri cubici quini,* Solutione Jodi et Zinco temperati,

si eandem rationem, quam in Acido hydrochlorico examinando, secutus eris, chartam solutione Argenti nitrici concentrata (1 = 2) humectatam ne mutent.

Acidum pyrogallicum.

Lamellae vel acus levissimae, albae, nitidae, saporis amari, quae in Aquae *partibus 2,3* ad liquorem limpidum, neutralem, coloris expertem, nec non in Spiritu aut Aethere solvuntur. Calore 131° liquescunt et caute fervefactae residuo nullo remanente sublimantur.

Solutio aquosa, addito Liquore Natri caustici, celeriter colorem fuscum, solutione Ferri sulfurici (1 = 3) recenter parata, intense indigoticum, Liquore Ferri sesquichlorati, e fusco rubrum ducit. Solutio eadem ex solutione Argenti nitrici Argentum paene statim expellit.

Acidum salicylicum.

Crystalla levia, alba, acubus similia vel pulvis laxus, albus, crystallinus, saporis e subdulci acidi, acris; in Aquae frigidae *partibus quingentis triginta octo* solvuntur, facilius in Aqua fervida et in Chloroformio fervido, facillime in Spiritu et in Aethere. Calore circiter 160° liquescunt, caute fervefaciendo sine decompositione, celeriter fervefaciendo odorem Acidi carbolici exhalantia evanescunt. Solutio aquosa, Ferro sesquichlorato addito, colorem e caeruleo violaceum constantem, valde diluta e violaceo rubrum ducit.

Solutio Acidi salicylici, *pondere sextuplo* Acidi sulfurici frigidi effecta, coloris fere expers sit. Si Acidum, in Solutione Natrii carbonici abunde addita solutum, cum Aethere conquassaveris, hic evaporatus ne relinquat residuum. Solutione spirituosa sua sponte exhalata id, quod restiterit, sit plane album. Acidum, in *partibus decem* Spiritus solutum, exiguo Acido nitrico adjecto, Argento nitrico ne mutetur.

Acidum sulfuricum.

Liquor et coloris et odoris expers, calore volatilis, spissitudinis olei, ponderis specifici 1,836 ad 1,840; in *centum partibus nonaginta quattuor* ad *nonaginta septem* Acidi sulfurici continet, Aqua dilutus cum Baryo nitrico sedimentum praebet album, in acidis non solubile.

Acidum *volumine quintuplo* Spiritus caute dilutum, vel longiore temporis spatio interjecto, ne turbetur. *Centimetri cubici decem* Acidi *volumine quintuplo* Aquae diluti *guttas tres ad quattuor* Liquoris Kalii permanganici volumetrici admixtas in frigore ne statim decolorent.

Acidum, *voluminibus viginti* Aquae dilutum, ne Aqua hydrosulfurata, neve Argento nitrico, neve, si Liquore Ammonii caustici in excessu saturaveris, Liquore Ammonii sulfurati mutetur. Acido cum *volumine aequali* Solutionis Ferri sulfurici per strata disjuncto, zona fusca ne oriatur.

Centimetri cubici duo Acidi, *centimetris cubicis decem* Aquae diluti et Solutione Jodi Zincoque temperati, si eandem rationem, quam in Acido hydrochlorico exami-

nando, secutus eris, chartam solutione Argenti nitrici concentrata (1 = 2) humectatam ne mutent.

Caute servetur.

Acidum sulfuricum crudum.

Liquor limpidus, coloris expers vel subfuscus, spissitudinis olei, ponderis specifici non minoris quam 1,830; in *partibus centum* non minus quam *nonaginta unam* Acidi sulfurici continens.

Caute servetur.

Acidum sulfuricum dilutum.

Aquae *partes quinque* **5**

et

Acidi sulfurici *partem unam* **1**

misce.

Ponderis specifici 1,110 ad 1,114.

Acidum tannicum.

Pulvis albus vel subflavus vel massa laxa, nitida, coloris paene expers. Cum Aquae *partibus aequalibus* aut Spiritus *duabus* praebet solutionem limpidam, odoris exigui, particularis, non aetherei, reactionis acidae, saporis constringentis; idem solvitur in Glycerini *partibus octo*, in Aethere absoluto non solvitur. Ex solutione aquosa (1 = 5) Acido sulfurico aut Natrio

chlorato Acidum tannicum praecipitatur; Ferrum sesquichloratum efficit sedimentum e caeruleo nigrum, quod Acido sulfurico admixto evanescit.

Acidum in Aquae *partibus quinque* solutum, *volumine aequali* Spiritus adjecto, remaneat limpidum, solutio spirituosa ne *volumine dimidio* Aetheris quidem admixto turbetur.

Gramma unum ad cinerem redactum ne relinquat residuum ponderabile.

Acidum tartaricum.

Crystalla grandia, coloris expertia, diaphana, columellaria, saepe in crustis cohaerentia, in aëre persistentia, fervefacta cum odore sacchari tosti carbonescentia, *in partibus 0,8* Aquae, in *2,5* Spiritus solubilia.

Solutio aquosa Acidi, Liquore Kalii acetici adjecto, dat sedimentum crystallinum, Aqua Calcariae abunde addita, sedimentum primo flocculosum, tum in formam crystallinam abiens, et in Ammonio chlorato et in Liquore Natri caustici solubile. Quod sedimentum, in Liquore Natri caustici solutum, coquendo gelatinosum praecipitatur, refrigeratione resolvitur.

Solutio aquosa Acidi (1 = 10) ne Calcio sulfurico, neve Baryo nitrico, neve Ammonio oxalico turbetur. Acidum in pulverem redactum, Aqua hydrosulfurata superfusa, ne mutetur.

Adeps suillus.

Ex adipe omenti et renum, quae praebet **Sus Scropha**, liquefaciendo, lavando, Aquam removendo paratur. Sit consistentiae mollis, aequabilis; calore 38 ad 42° ita liquescat, ut fiat liquor coloris expers, limpidus, odoris non rancidi. Spiritus fervidus cum Adipe suillo conquassatus, tum refrigeratus et *partibus aequalibus* Aquae dilutus chartam exploratoriam ne mutet. Adipis suilli *partes duae* cum Liquoris Kali caustici *partibus duabus* et Spiritus *parte una* tam diu coctae, donec mixtio facta erit limpida, tum in balneo aquae evaporatae saponem mollem relinquant, qui in *partibus quinquaginta* Aquae calidae et *partibus decem* Spiritus solvatur.

Aether.

Liquor limpidus, coloris expers, perliquidus, et odoris et saporis specialis, facile volatilis; ponderis specifici 0,724 ad 0,728; calore 34 ad 36° ebullit, Spiritu oleisque sebacicis quavis proportione misceri potest.

Quo liquore imbuta charta bibula ne spargat odorem, exhalatione peracta; neve charta exploratoria humectata eo rubicetur. Aqua cum Aetheris *volumine aequali* vehementer conquassata ne plus quam *decima parte* amplietur.

Aether aceticus.

Liquor limpidus, coloris expers, volatilis, odoris specialis, suavis, recreantis, calore 74 ad 76° ebulliens,

ponderis specifici 0,900 ad 0,904; Spiritu et Aethere quavis proportione misceri potest.

Charta exploratoria Aethere acetico ne statim rubicetur. Aqua cum *volumine aequali* Aetheris acetici vehementer conquassata ne plus quam *decima parte* amplietur.

Aloë.

Succus decoctus foliorum, quae offerunt **Aloë ferox, Aloë spicata, Aloë vulgaris, Aloë lingua,** haud scio an etiam aliae Aloës species Capenses. Massa perfusca, et odoris et saporis specialis, quae facile in fragmenta laticonchata nitoris vitrei et in assulas acutas, pellucidas, coloris subrubri vel clare fusci diffringitur. Calore balnei aquae Aloën primo mollescere licet, neque vero confluere. Plane siccata et subtilissime contrita pulverem flavum praebet, qui calore 100° neque concrescat neque colorem mutet. Aloë admixta, Chloroformium purum ebulliens prorsus non coloratur, Aether purus colorem dumtaxat levissime subflavum trahit.

Aloës *partes quinque* cum *partibus decem* Aquae ebullientis solutionem paene limpidam efficiant, ex qua refrigerata circiter *partes tres* denuo subsidant. Solutio spirituosa (1 = 5) etiam in frigore limpida remaneat.

Alumen.

Crystalla vel fragmenta crystallina coloris expertia, diaphana, dura, ad ordinem octaëdrica, pulvere parco

obtecta, in *partibus 10,5* Aquae solubilia, in Spiritu non solubilia. In solutione aquosa, quae reactionis acidae saporisque subdulcis, valde constringentis est, Liquor Natri caustici sedimentum efficit album, gelatinosum, quod, si Liquorem Natri caustici abunde addideris, solvitur, Ammonio chlorato admixto in conspectum redit.

Solutio aquosa (1 = 20) Aqua hydrosulfurata ne mutetur, Solutione Kalii ferro-cyanati flavi adjecta colorem subcaeruleum ne ducat nisi circumacto sextante horae. Sedimentum, calore aëris Liquore Natri caustici effectum, si eundem in excessu addideris, resolvitur, odorem Ammonii non exhalans; quae solutio Aqua hydrosulfurata ne turbetur.

Alumen ustum.

Aluminis pulverati *partes centum*, tenuiter stratas, calore 50° tam diu sicca, donec *partes* fere *triginta* ponderis amiserint, tum in patinam porcellanicam immissas in balneo arenae, perpetuo permiscens, calore 160° non excedente ferveface, quoad residui pondus non sit amplius quam *partium quinquaginta quinque.*

Sit pulvis albus, leni ardore ne plus ponderis quam in *centum partibus decem* amittat, in Aquae *partibus viginti quinque* lente, sed limpide solvatur.

Aluminium sulfuricum.

Frusta alba, crystallina, in Aquae frigidae *partibus 1,2,* in Aqua fervida multo facilius solubilia, in Spiritu in-

solubilia. Solutio aquosa est et reactionis et saporis acidi constringentisque; eadem, si Baryum nitricum adjeceris, sedimentum praebet album, in Acido hydrochlorico insolubile, sin Liquorem Natri caustici, sedimentum coloris expers, gelatinosum, quod in ejus excessu solvitur.

Aluminii sulfurici *gramma unum*, affusis Aquae *centimetris cubicis decem*, solutionem coloris expertem efficiat, quae, *grammatis 1,2* Baryi chlorati et *aliquot guttis* Solutionis Phenolphtaleïni additis, *centimetros cubicos 8,3 ad 8,7* Liquoris Kalii hydrici volumetrici requirat, ut constanter rubicetur. Aluminii sulfurici *gramma unum*, in Aquae *centimetris cubicis decem* solutum, addita *gutta una* Solutionis Acidi tannici, aut nullo aut subcaeruleo dumtaxat colore inficiatur

Ammoniacum.

Gummi-resina quam offert **Dorema Ammoniacum**; constat e granulis, tum separatis, tum plus minusve inter se cohaerentibus, vel massis amplioribus coloris subfusci, per recentem fracturam turbide albescentis. Ammoniacum, frigore fragile, calefaciendo mollescit, nec vero limpide liquescit; est odoris specialis, saporis amari, paullum acris, insuaviter aromatici.

Ammoniacum cum Aquae *pondere triplici* contritum emulsionem efficit albam, quae, addito Liquore Natri caustici, colorem flavum, tum fuscum trahit. *Pondere triplici* Acidi hydrochlorici superfusum, ne calore 60° quidem, coloretur.

Ad usum pharmaceuticum frigore rigefactum in pulverem redigatur et ope cribri quisquiliis mundetur.

Ammonium bromatum.

Pulvis albus, crystallinus, in Aqua facile, in Spiritu difficulter solubilis, fervefactus volatilis. Solutio aquosa, additis *exigua parte* Aquae chloratae et Chloroformio, huic quidem colorem e rubro flavum inducit; cum Liquore Natri caustici fervefacta Ammonium emittit.

Salis pulverati *pars exigua*, in tabula porcellanica dilatata, chartam exploratoriam humidam ne rubefaciat neve, additis *paucis guttis* Acidi sulfurici diluti, statim colorem flavum trahat.

Centimetri cubici quinque solutionis aquosae (1 = 10), si *gutta una* Liquoris Ferri sesquichlorati temperaveris et cum Chloroformio conquassaveris, huic colorem violaceum ne inducant. *Centimetri cubici decem* solutionis, quae *grammata tria* Ammonii bromati omnino siccati in *centimetris cubicis centum* Aquae soluta continet, si *nonnullas guttas* Solutionis Kalii chromici addideris, ne plus quam *centimetros cubicos 31,1* Liquoris Argenti nitrici volumetrici requirant, ut constanter rubicentur.

Ammonium carbonicum.

Massae densae, durae, diaphanae, fibroso-crystallinae, odoris perammoniacalis; cum acidis effervescunt, aëre fatiscunt, frequenter extrinsecus pulvere albo ob-

tectae sunt, calore aufugiunt, in *partibus quattuor* Aquae lente, sed plane solvuntur.

Solutio aquosa (1 = 20), Acido acetico in excessu saturata, ne Aqua hydrosulfurata, neve Baryo nitrico, neve Ammonio oxalico mutetur, neve, additis *exigua parte* Aquae chloratae et Chloroformio, huic colorem violaceum inducat.

Solutio aquosa (1 = 20), cum Argento nitrico abunde commixta et Acido nitrico in excessu saturata, ne colorem fuscum trahat, et intra trigesimam horae partem tantummodo opalescat.

Ammonii carbonici *gramma unum*, Acido nitrico in excessu saturatum et in balneo aquae evaporando siccatum, residuum coloris expers, calore majore volatile efficiat.

Ammonium chloratum.

Placentae albae, durae, fibroso-crystallinae vel pulvis crystallinus, albus, et coloris et odoris expers; in aëre persistunt, calore in vaporem convertuntur; in *partibus tribus* Aquae frigidae, *aequalibus* Aquae ebullientis solubilia, in Spiritu paene insolubilia sunt. Solutio aquosa, Argento nitrico admixto, sedimentum album, caseosum, in Liquore Ammonii caustici solubile efficit et cum Liquore Natri caustici calefacta Ammonium evolvit.

Solutio aquosa (1 = 20) ne Aqua hydrosulfurata, neve Baryo nitrico, neve Acido sulfurico diluto mutetur, neve, Acido hydrochlorico acidulata, Ferro sesquichlorato rubicetur Liquore Ammonii sulfurati addito,

tantummodo intense viridescat, ne sedimentum nigrum efficiat. Salis *gramma unum*, cum exiguo Acido nitrico in balneo aquae evaporando siccatum, residuum praebeat album, calore fortiore volatile.

Ammonium chloratum ferratum.

Ammonii chlorati *partes triginta duas* **32,**
in patina porcellanica
Liquoris Ferri sesquichlorati *partibus novem*.. **9**
mixtas, dum perpetuo agitas, in balneo vaporis evaporando ad siccitatem redige.

Pulvis e rubro flavus, aëre humescens, in Aqua facile solubilis, in *centum partibus* circiter *2,5* Ferri continens.

A luce remotum servetur.

Amygdalae amarae.

Semina, quae offert **Prunus Amygdalus**; sunt asymmetre ovata, compressa, circiter *centimetros duos* longa, vulgo *centimetrum unum et dimidium* lata, acute umbilicata, adversa parte, quae obtuse rotundata est, ad *centimetrum unum* crassa. Testa membranacea fusca, furfurea, fasciculis vasorum haud ita ramosis transjecta, si Aqua molliveris, a cotylis pure albis facile detrahi potest. Cotylae sunt saporis peramari

Amygdalae dulces.

Semina, quae offert **Prunus Amygdalus**; sunt asymmetre ovata, compressa, acute umbilicata, adversa parte obtuse rotundata. Quorum majora, circiter *centimetros 2,25* longa, non minus quam *centimetrum unum et dimidium* lata deligas. Testa membranacea fusca, furfurea, fasciculis vasorum haud ita ramosis transjecta, si Aqua molliveris, a cotylis pure albis facile detrahi potest. Cotylae sint saporis leniter oleosi, ejusdemque subdulcis et mucilaginosi, non rancidi.

Amylium nitrosum.

Liquor limpidus, subflavus, volatilis, odoris haud insuavis qualis est fructuum, saporis ustulantis, aromatici, in Aqua vix solubilis; Spiritu et Aethere quavis proportione misceri potest; calore 97 ad 99° ebullit, incensus flamma flava, lucida, fuliginosa deflagrat.

Centimetri cubici decem Amylii nitrosi reactionem alcalinam ne tollant, quam *centimetri cubici duo* mixtionis ex *parte una* Liquoris Ammonii caustici et *partibus novem* Aquae compositae praebent.

Amylium nitrosum, quod cum *volumine triplici* mixtionis, ex *aequalibus partibus* Liquoris Ammonii caustici et Spiritus absoluti compositae, et cum *exigua parte* Argenti nitrici leniter calefeceris, ne colorem fuscum, neve nigrum efficiat.

Caute, a luce remotum et nonnullis crystallis Kalii tartarici superpositum, servetur.

Amylum Tritici.

Amylum fructuum, quos praebet **Triticum vulgare.** Pulvis albus, subtilissimus, ope microscopii *centies quinquagies* amplificatus sub aqua contemplanti e granulis paene orbiculatis constare videtur, quorum alia sunt minima, alia, et ea minus frequentia, permulto latiora; granula magnitudinis mediae rarius inveniuntur. Spiritu admixto, granula majora apparet lenticularia aut plano-convexa esse. Amyli Solani granula multo majora minusque regularia, si quae admixta sint, ope microscopii facile cognoscuntur. Amylo Tritici combusto, id, quod relinquitur, cineris ex *centum partibus unam* ne excedat. Amylum Tritici cum *partibus quinquaginta* Aquae coctum mucilaginem efficit frigore perliquidam turbidamque, neque odoris nec saporis specialis, chartam exploratoriam non mutantem.

Antidotum Arsenici.

Liquoris Ferri sulfurici oxydati *partes centum* **100**
Aquae *partibus ducentis quinquaginta*..... **250**
misce. Cui liquori adde, conquassando et calefactionem quam maxime evitando, mixturam e
Magnesiae ustae *partibus quindecim*..... **15**
et
Aquae *partibus ducentis quinquaginta*..... **250**
compositam.

Mixtura fusca, quam ante usum conquassare oportet; quotiescunque praescripta erit, recenter paranda est.

Quem ad finem haud minus quam *quingenta grammata* Liquoris Ferri sulfurici oxydati et *centum quinquaginta grammata* Magnesiae ustae semper in promptu habere necesse est.

Apomorphinum hydrochloricum.

Pulvis albus vel e griseo albus, siccus, crystallinus, neutralis, in Aqua solubilis, in Aethere aut Chloroformio fere insolubilis. Aëre humido luci objectum brevi colorem viridem ducit. Addito Acido nitrico colorem sanguineum ducit. In Liquore Natri caustici abunde addito solvitur; quae solutio in vase non clauso brevi tempore in colorem purpureum, postea in nigrum abit; solutionem Argenti nitrici reducit. Sedimentum, quod Natrio bicarbonico effeceris, aëri expositum celeriter colorem viridem trahit.

Salis solutio aquosa sit coloris expers vel haud admodum colorata. Sal, si cum *partibus centum* Aquae solutionem smaragdinam praebet, rejiciendum est.

Caute, a luce remotum, servetur.

Dosis maxima singula 0,01.
Dosis maxima pro die 0,05.

Aquae destillatae.

Aquae destillatae sint odoris et saporis specialis, qui inest substantiis volatilibus medicaminum, e quibus paratae sunt.

Portiones, quas dispensare paras, oleis aethereis non solutis filtrando liberare oportet.

Aquae mucefactae, coloris non expertes, rejiciantur.

Aqua hydrosulfurata admixta ne mutentur.

Aqua Amygdalarum amararum.

Amygdalarum amararum *partes duodecim* 12
contusas ope torculi, non calefaciens, quam maxime ab oleo pingui libera, liberatas in pulverem subtilem redige.

Quem pulverem in ambige ampla, aptissime ita instituta, ut vapores aquae in alio apparatu effectos per eam perpellere possis, cum

Aquae communis *partibus octoginta* 80
bene commisce et, addita

Spiritus *parte una* 1,
in vase bene clauso per duodecim horas sepone; diligenter refrigerando

Partes undecim 11
caute destilla in receptaculum, quod

Spiritus *partem unam* 1
continet. Quantum id, quod destillaveris, Acidi hydrocyanici contineat, examina; deinde dilue tanta quantitate mixturae e

Spiritus *parte una* 1
et

Aquae *partibus quinque* 5

compositae, quanta sufficiat, ut *mille partes unam* Acidi hydrocyanici contineant.

Grammatis viginti septem Aquae Amygdalarum amararum cum *quinquaginta quattuor* Aquae dilutis et Magnesio hydrico pultiformi adeo temperatis, ut pellucida esse desinant, *guttas nonnullas* Solutionis Kalii chromici admisce. Tum Liquorem Argenti nitrici volumetricum affunde, donec color ruber, quotiescunque guttam adjeceris, Argento chromico effectus, agitando jam non evanescat. Numero *centimetrorum cubicorum* Liquoris Argenti nitrici volumetrici, quos adhibueris, cum 0,01 multiplicato indicatur, quantum Acidi hydrocyanici *partes centum* contineant.

Aqua Amygdalarum amararum sit limpida vel paene limpida, Oleum Amygdalarum amararum et Acidum hydrocyanicum fortiter redolens; odor ille, Acido hydrocyanico Argenti nitrici ope sublato, tamen remaneat.

Caute servetur.

Aquae Lauro-Cerasi loco Aqua Amygdalarum amararum dispensanda est.

Dosis maxima singula 2,0.
Dosis maxima pro die 8,0.

Aqua Calcariae.

Calcariae ustae *parti uni* 1,
Aquae *partibus quattuor* 4
exstinctae, agitans adjice

Aquae *partes quinquaginta* . . . . . **50.**

Aliquot horis circumactis, partem liquidam effunde et sedimento relicto iterum admisce

Aquae *partes quinquaginta* . . . . . **50.**

Aqua Calcariae sit limpida, coloris expers, reactionis peralcalinae.

Centimetri cubici centum Aquae Calcariae, *centimetris cubicis tribus et dimidio* ad *quattuor* Acidi hydrochlorici volumetrici additis, ne praebeant liquorem acidum.

Aqua carbolisata.

Acidi carbolici liquefacti *partibus triginta tribus* **33**

admisce

Aquae *partes nongentas sexaginta septem* . . . **967.**

Liquor limpidus, Acidum carbolicum redolens.

Aqua chlorata.

Liquor limpidus, e flavo viridis, calore volatilis, odoris suffocantis, chartam exploratoriam caeruleam statim decolorans, in *partibus mille* haud minus quam Chlori *quattuor* continens.

Si *grammata viginti quinque* Aquae chloratae in solutionem aquosam *grammatis unius* Kalii jodati, Solutione Amyli temperatam, infuderis, non minus quam *centimetri cubici 28,2* Liquoris Natrii thiosulfurici volumetrici requirantur, ut Jodum expulsum adnectatur.

A luce remota servetur.

Aqua Cinnamomi.

Corticis Cinnamomi grosso modo contusi *partem unam* 1
Spiritus *parte una* 1
et
Aquae communis ea, qua opus est, copia superfunde et, circumactis duodecim horis, destilla
Partes decem ..... 10.
Sit turbida, deinde limpida fiat.

Aqua destillata.

Liquor limpidus, et coloris et odoris et saporis expers; residuo nullo remanente evaporatur.

Ne Hydrargyro bichlorato, neve Argento nitrico, neve cum *volumine duplici* Aquae Calcariae mixta turbetur.

Aqua Florum Aurantii.

Liquor limpidus vel subopalescens, coloris expers, odoris suavis Florum Aurantii.

A luce remota servetur.

Aqua Foeniculi.

Fructuum Foeniculi contusorum *partem unam* 1
Aquae communis ea, qua opus est, copia postquam superfuderis,
Partes triginta ..... 30.
destilla.
Sit paullum turbida.

Aqua Menthae crispae.

Foliorum Menthae crispae concisorum *partem unam* 1
Aquae communis ea, qua opus est, copia postquam superfuderis,
Partes decem 10
destilla.
Sit paullum turbida.

Aqua Menthae piperitae.

Foliorum Menthae piperitae concisorum *partem unam* 1
Aquae communis ea, qua opus est, copia postquam superfuderis,
Partes decem 10
destilla.
Sit paullum turbida.

Aqua Picis.

Picis liquidae *partem unam* 1
Pumicis pulverati *partibus tribus* 3,
quas antea Aqua elueris et siccaveris, commixtam ad usum serva. Cujus mixtionis
Partes quattuor 4
cum
Aquae *partibus decem* 10
per duodecimam horae partem conquassatas filtra.

Sit limpida, subflava vel e subfusco flava, et odoris et saporis picei.

Aut quotiescunque praescripta erit, recenter para aut parumper tantum in promptu serva.

Aqua Plumbi.

Liquoris Plumbi subacetici *parti uni* 1
admisce
Aquae *partes quadraginta novem* . . . . . 49.

Sit paullum turbida.

Antequam dispenses, agita.

Aquae Plumbi Goulardi loco Aqua Plumbi dispensanda est.

Aqua Rosae.

Olei Rosae *guttas quattuor*
cum
Aquae tepidae *grammatis mille*
aliquamdiu conquassatas filtra.

Sit limpida.

Argentum foliatum.

Lamellae tenues nitoris Argenti puri; in Acido nitrico ad liquorem limpidum, coloris expertem solvuntur, in quo Acidum hydrochloricum sedimentum efficit album, caseosum, in Acido nitrico insolubile, in Liquore Ammonii caustici facile solubile.

Argentum nitricum.

Bacilla alba, nitida vel e griseo alba, liquabilia. Sunt fracturae crystalline radiatae, in Aquae *partibus 0,6*,

in Spiritus *partibus 10,2,* nec non in Liquore Ammonii caustici limpide et sine ullo colore solubilia. Solutio aquosa est neutralis, Acido hydrochlorico addito flocculos albos, in Liquore Ammonii caustici facile solubiles, in Acido nitrico non solubiles demittit.

Solutio aquosa (1 = 10), *volumine quadruplici* Acidi sulfurici diluti temperata et, donec ebulliat, fervefacta, ne turbetur. Ejusdem solutionis alia parte Acido hydrochlorico praecipitata, liquor filtrando efficiatur, qui evaporatus residuum non relinquat.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 0,03.

Dosis maxima pro die 0,2.

Argentum nitricum cum Kalio nitrico.

Argenti nitrici *partem unam* 1

et

Kalii nitrici *partes duas* 2

inter se mixtas caute liqueface, tum in bacillorum formam funde.

Bacilla alba vel e griseo alba, dura, per fracturam porcellanae similia, vix crystallina.

Gramma unum, in Aquae *centimetris cubicis decem* solutum, si *centimetris cubicis viginti* Liquoris Natrii chlorati volumetrici et *guttis decem* Solutionis Kalii chromici temperaveris, ad liquorem rubefaciendum non plus quam *dimidium* ad *unum centimetrum cubicum* Liquoris Argenti nitrici volumetrici requirat.

Caute servetur.

Asa foetida.

Gummi-resina, quam offerunt species Ferulae (Peucedani), in Asia montana occidentali nascentes, praecipue **Ferula Scorodosma** et **Ferula Narthex**. Aut granula sunt libera vel conglutinata aut massae ampliores, extrinsecus coloris e griseo violacei, fusci, intus albi; per fracturam primo colorem rubrum ducunt, tum in fuscum abeunt. Asa foetida est et odoris et saporis maxime specialis; cum *pondere triplici* Aquae contrita emulsionem albidam, addito Liquore Natri caustici flavescentem efficit. Acido hydrochlorico superfusa ne valde effervescat; Acidum ipsum peractis sex horis vix coloretur. Combusta ne plus cineris quam ex *centum partibus decem* relinquat.

Ad usum pharmaceuticum Asa foetida frigore rigefacta in pulverem redigatur et ope cribri quisquiliis mundetur.

Atropinum sulfuricum.

Pulvis albus, crystallinus; additis aut Aquae *eadem quantitate* aut Spiritus *pondere triplici*, solutiones neutrales praebens; non solubilis in Aethere neque in Chloroformio.

Gramma 0,001, in tubulo vitreo usque ad evolutionem nebulae albae fervefactum, si Acidi sulfurici *gramma unum et dimidium* addideris, denuo calefac, donec furvescere incipiat. Si tum illico *grammata duo* Aquae admiscueris, odor suavis, maxime specialis exhalatur. Quo facto si crystallulum Kalii permanganici adjeceris, odor Olei Amygdalarum amararum oritur.

Solutio aquosa Liquore Natri caustici turbetur, neque vero Liquore Ammonii caustici; vel *mille partibus* diluta saporem acrem et amarum praebet.

Cautissime servetur.

Dosis maxima singula 0,001.

Dosis maxima pro die 0,003.

Auro-Natrium chloratum.

Auri puri *partes sexaginta quinque* **65**
leniter calefaciendo solve in
Acidi nitrici *partibus sexaginta quinque* . . . . . **65.**
cum
Acidi hydrochlorici *partibus ducentis quadraginta* **240**
commixtis, in quo liquore
Aquae *partibus ducentis* **200**
diluto solve
Natrii chlorati puri desiccati *partes centum* . . **100.**

Liquorem limpidum in balneo aquae agitando ad siccitatem redige.

Pulvis coloris aurei, in Aquae *partibus duabus* plane, in Spiritu modo ex parte solubilis. Candefactus Auro secedente deletur.

Si bacillum Liquore Ammonii caustici humectatum admoveris, ne exhalet nebulas. *Grammate dimidio* in catino porcellanico obtecto lente candefacto, residuum Aqua elutum ne minus Auri quam *grammata 0,150* contineat, quod in *centum partibus triginta* Auri respondet.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 0,05.

Dosis maxima pro die 0,2.

Balsamum Copaivae.

Succus resinosus, quem offerunt species Copaiferae, in America, qua ad meridiem spectat, nascentes, praecipue **Copaifera officinalis** et **Copaifera Guianensis.** Liquor limpidus, e flavo subfuscus, nullo modo aut leviter fluorescens, odoris specialiter aromatici, saporis constanter acris et subamari. Notae spissiores ponderis specifici 0,96 ad 0,99, quae in balneo aquae evaporatae resinam clare fuscam, refrigeratione facta amorpham, limpidam, fragilem relinquant, praeferendae sunt. Balsamo *pondere vicies* tanto majore Carbonei sulfurati diluto et cum *nonnullis guttis* mixturae refrigeratae e *partibus aequalibus* Acidi sulfurici et Acidi nitrici fumantis compositae conquassato, color ruber aut violaceus ne oriatur. Balsami Copaivae *pars una* cum *partibus quinque* Aquae calore 50° vehementer conquassata mixturam turbidam efficiat, quam in balneo aquae brevi tempore in duo strata limpida recedere oportet.

Balsamum Nucistae.

Cerae flavae *partem unam* **1,**
Olei Olivarum *partes duas* **2,**
Olei Nucistae *partes sex* **6**

in balneo vaporis colliquefactas cola et in capsulas effunde.

Sit coloris e subfusco flavi et odoris aromatici.

Balsamum Peruvianum.

Succus resinosus e truncorum cortice, quem praebet **Toluifera Pereirae** (Myroxylon Pereirae), adurendo elicitus. Liquor e fusco ruber vel intense perfuscus, in stratis tenuioribus limpide pellucidus, qui non filatim distrahitur, odoris suavis, saporis peracris, subamari, ponderis specifici 1,137 ad 1,145, non adhaesivus, aëre non siccescens. Cum Spiritus *pondere aequali* limpide misceri potest. Balsami *partes tres partem unam* Carbonei sulfurati ita absorbent, ut non turbentur, sed, *octo aliis partibus* ejus additis, resina e fusco nigra praecipitatur. Liquor limpidus inde effusus colorem dumtaxat leviter subfuscum trahat, idem nullo modo aut non magis quam leviter fluorescat. Si *guttas triginta* mixtionis, e Balsami *grammate uno* cum *grammatis quinque* Benzini Petrolei vehementer conquassando effectae, tum paulisper sepositae in parva patina porcellanica exhalationi spontaneae dedideris, residuum oleaceum coloris subflavi remaneat, quod vel leniter calefactum non Terebinthinam, neque Styracem, neque Balsamum Copaivae redoleat, neque, *guttis quinque* Acidi nitrici fortis (ponderis specifici 1,30 ad 1,33) admixtis, quin etiam lenius calefactum, colorem caeruleum aut ex caeruleo viridem ducat.

Balsami *guttis quinque* cum *centimetris cubicis tribus* Liquoris Ammonii caustici vehementer conquassatis, ne spuma oriatur nisi exigua, mox dilabens, neve, ne viginti quattuor quidem horis circumactis, gelatina formetur.

Balsami *guttis decem* cum Acidi sulfurici *guttis viginti* contritis, mixtio fiat aequabilis, tenax, coloris cerasini, quae, paullo post Aqua frigida eluta, residuum resinosum, frigore fragile relinquat. Balsamum Peruvianum, cum *pondere ducenties* tanto majore Aquae destillatum, ne praebeat oleum aethereum.

Benzinum Petrolei.

Petrolei portiones coloris expertes, non fluorescentes ponderis specifici 0,640 ad 0,670, si destillaveris, calore 55 ad 75° paene prorsus transeuntes, odoris fortis, non insuavis, faciles ad exardescendum. Benzini Petrolei *partes duae*, si cum mixtione refrigerata, quae constat ex *parte una* Acidi sulfurici et *quattuor* Acidi nitrici fumantis, conquassaveris, ne colorentur neve odorem trahant Olei Amygdalarum amararum.

Benzoë.

Resina, quam offert **Styrax Benzoïn.** Massa e griseo subfusca, saepe foraminosa, facile friabilis, granulis vel glebulis clarioribus mixta, aut frusta plana, e flavo subfusca, introrsum clariora. Benzoë in *pondere quintuplici* Spiritus leni calore ita solvitur, ut nihil nisi pars exigua fragmentorum plantae restet; filtrata et cum Aqua commixta liquorem lacteum reactionis acidae efficit.

Bismutum subnitricum.

Bismuti *partes duas* 2

et

Natrii nitrici *partem unam* 1

in patina ferrea ad candorem leviter rubrum ferveface et, simulatque massa tumescere coeperit, agita, donec metallum subtiliter diffusum vixdum conspicias. Quam mixtionem semirefrigeratam, additis

Aquae *partibus quinque* 5

et

Liquoris Natri caustici *partibus tribus* 3,

paulisper coque et, postquam Bismutum subtiliter diffusum cum parte oxydata in filtrum collegeris, Aqua elue, donec alcali omne remotum erit. Residuum siccatum in

Acidi nitrici fervidi *partes octo* 8

paullatim infunde, tum per breve tempus ad calorem 80 ad 90° calefactum per Asbestum filtra et exhalando usque ad *partes sex* redige.

Partem unam crystallorum, quae refrigerando effeceris et Aqua, exiguo Acido nitrico temperata, aliquoties elueris, cum *partibus quattuor* Aquae aequabiliter contere et in *partes viginti unam* Aquae ebullientis agitans infunde. Sedimento praecipitato, liquorem superstantem, adhuc calentem remove et sedimentum in filtrum collige. Tum, filtratione prorsus confecta, Aquae frigidae *volumine aequali* elue et calore 30° desicca.

Pulvis albus, micro-crystallinus, reactionis acidae. Calore 120° ex *centum partibus partes tres* ad *quinque* Aquae amittat; candefactus vapores e flavo rubros emittens ex *centum partibus septuaginta novem* ad *octoginta duas* Bismuti oxydati relinquat.

Gramma dimidium Bismuti subnitrici in *centimetris cubicis viginti quinque* Acidi sulfurici diluti, Acidum carbonicum non emittens, limpide solvatur; cujus solutionis parte aliqua cum Liquore Ammonii caustici abunde commixta, liquor coloris expers, quem filtrando effeceris, addita Aqua hydrosulfurata, reactionem ne praebeat. Alia pars, *majore parte* Aquae diluta et Hydrogenio sulfurato prorsus praecipitata, si filtraveris et evaporaveris, residuum ne relinquat.

Bismutum subnitricum in Acido nitrico limpide solvatur; quae solutio ne Argento nitrico, neve solutione Baryi nitrici (1 = 50) turbetur. Bismutum subnitricum, Liquore Natri caustici abunde addito, si calefeceris, Ammonium ne emittat; liquore, quem filtrando exceperis, in tubo exploratorio cum *nonnullis frustulis* fili ferrei nitidi et *exigua parte* Zinci raspati calefacto, charta solutione Argenti nitrici (1 = 2) humectata eo, quod aufugit, gaso intra unam horam ne coloretur.

Bolus alba.

Substantia terrea albida, friabilis, colorem mittens, humectata subtenax, in Aqua dilabens nec vero solubilis, praecipue ex Aluminio silicico cum Aqua composita.

Acido hydrochlorico superfuso, ne effervescat neve Aqua expurgata arenam relinquat.

Borax.

Crystalla vel frusta crystallina dura, alba, in *partibus septendecim* Aquae frigidae, in *pondere dimidio* Aquae ebullientis, uberrime in Glycerino, neque vero in Spiritu solubilia.

Solutio aquosa chartae exploratoriae luteae, exiguo Acido hydrochlorico addito, fuscum colorem inducit. Borax ansae fili platinei affixus flammam flavam reddit.

Solutio aquosa (1=50) ne Aqua hydrosulfurata, neve Ammonio carbonico mutetur, neve Acido nitrico acidulata effervescat; addito Baryo nitrico aut Argento nitrico, post duodecimam horae partem tantummodo opalescat.

Bromum.

Liquor intense e rubro fuscus, volatilis. ponderis specifici 2,9 ad 3,0; jam calore aëris, vapores coloris e flavo rubri exhalans, evanescit. Solvitur in Aquae *partibus quadraginta,* facile solvitur in Spiritu, Aethere, Carboneo sulfurato, Chloroformio colore intense e rubro flavo.

Bromum in Liquore Natri caustici limpide solvatur. Solutio aquosa (1 = 40), quam cum Ferro pulverato abunde addito conquassaveris, liquorem praebeat, qui, et exiguo Ferro sesquichlorato et Chloroformio additis, huic quidem colorem violaceum non inducat.

Caute servetur.

Bulbus Scillae.

Striae excisae e tunicis intermediis bulborum, quos offert **Urginea maritima** (Scilla maritima); sunt circiter *millimetros tres* crassae, coloris e subflavo albi, diaphanae, lineis transversis crassis transjectae, saporis nauseose amari.

Calcaria chlorata.

Pulvis albus vel albidus, odoris Chloro similis, in Aqua modo ex parte solubilis, in *centum partibus* non minus quam *viginti* Chlori efficacis continens. Acido acetico superfuso, Chlorum copiosum evolvens solutionem praebet, quae Aqua diluta et filtrata, Ammonio oxalico addito, sedimentum album demittit.

Calcariae chloratae *grammate dimidio* cum *centimetris cubicis centum* Aquae contrito et cum *grammatis duobus* Kalii jodati, *guttis viginti* Acidi hydrochlorici, exigua Solutione Amyli commixto: *centimetris cubicis 28,5* Liquoris Natrii thiosulfurici volumetrici opus est, ut Jodum expulsum adnectatur.

Solutiones Calcariae chloratae aquosas, antequam dispenses, filtra.

Calcaria usta.

Massae densae, albidae, quae Aquae *dimidio pondere* conspersae magnopere fervent et in pulverem dilabuntur; cum Aquae *partibus tribus* ad *quatuor* pultem spissam, aequabilem efficiunt, quae in Acido nitrico non

nisi perpaullum effervescens ex majore parte solvitur. Quae solutio, Aqua diluta et Natrio acetico temperata, Ammonio oxalico addito sedimentum album demittit.

Calcium carbonicum praecipitatum.

Pulvis albus, micro-crystallinus, in Aqua fere insolubilis; in Acido acetico effervescens solvitur, quae solutio cum Ammonio oxalico sedimentum album efficit.

Cum *partibus quinquaginta* Aquae conquassatum, si filtraveris, reactionem alcalinam ne praebeat.

Solutio aquosa (1=50), Acidi acetici ope parata, ne Baryo nitrico mutetur; Argento nitrico et insuper Acido nitrico additis, tantummodo opalescat.

Solutio aquosa (1=50), Acidi hydrochlorici ope parata, si Liquore Ammonii caustici abunde saturaveris, ne turbetur neve, Liquore Ammonii sulfurati addito, colorem trahat nisi perviridem.

Calcium phosphoricum.

Calcii carbonici crystallini *partes viginti* **20,**
Acidi hydrochlorici *partibus quinquaginta* **50**
et
Aquae *partibus quinquaginta* **50**
inter se mixtis superfusas, caleface, simulatque hae in illas vim exhibere desierint. Liquorem limpide decanthatum, cui Aquam chloratam recenter paratam abunde admiscueris, caleface, quoad odor Chlori evanuerit, deinde

Calcii hydrici *parte una* 1

temperatum per semihoram digere.

Liquori limpido, Acido acetico diluto leniter acidulato, solutionem filtratam, quae constat ex

Natrii phosphorici *partibus sexaginta una*.... 61

et

Aquae ebullientis *partibus trecentis* 300,

agitando paullatim adjice, tum per aliquot horas sepone. Sedimentum crystallinum, quod subsederit, in linteum humidum collectum Aqua elue, donec portio liquoris lotorii, Acido nitrico acidulata, Argento nitrico addito tantummodo paullulum opalescat.

Filtratione confecta, sedimentum vehementer exprime et leni calore siccatum conterendo in pulverem redige.

Pulvis levis, albus, crystallinus, in Aqua non solubilis, in Acido acetico frigido difficulter, in Acidis et hydrochlorico et nitrico facile solubilis neque effervescens.

Solutio nitrica, Argento nitrico temperata, si Liquore Ammonii caustici diluto caute neutralisaveris, sedimentum flavum praebet; Ammonio oxalico, si Natrium aceticum abunde addideris, sedimentum album efficitur. Calcium phosphoricum, solutione Argenti nitrici humectatum, flavescit, id quod non fit, si antea in lamina platinea diutius candefactum est; qua operatione ex *centum partibus viginti quinque* ad *sex* amittat.

Calcium phosphoricum, cum *partibus viginti* Aquae conquassatum, si filtraveris et Acido acetico acidulaveris, Baryo nitrico ne mutetur.

Solutio aquosa (1 = 20), Acidi nitrici ope parata, Argento nitrico addito, post trigesimam horae partem tantummodo opalescat; Liquore Ammonii caustici abunde addito, Liquore Ammonii sulfurati sedimentum album efficiatur.

Calcium phosphoricum crudum.

Pulvis coloris albi vel e griseo albi; in Acido hydrochlorico leniter effervescens, residuo exiguo remanente, solvitur.

Paullum hujus salis solutione Argenti nitrici superfusum, si seposueris, colorem flavum trahit.

Calcium sulfuricum ustum.

Pulvis albus, amorphus; *dimidio pondere* Aquae temperatus intra duodecimam horae partem durescat.

Camphora.

Stearoptenum sublimatione e **Cinnamomo Camphora** paratum. Massa alba, crystallina, friabilis, et odoris et saporis specialis; ex patina aperta brevi tempore sine ullo residuo aufugit, parietes lagenarum semiplenarum crystallis nitidis tegit; in Aqua vix solvitur. Largiter solvitur in Aethere, Chloroformio, Spiritu; quibus liquoribus humectata in pulverem redigi potest.

Cantharides.

Scarabaeus quam integerrimus, cui est nomen **Lytta vesicatoria**, coloris belle et nitide viridis, praesertim calore e caeruleo versicoloris, *centimetrum unum et dimidium* ad *tres* longus, *sex* ad *octo millimetros* latus. Cantharides combustae cineris ex *centum partibus* ne plus quam *octo* relinquant.

Caute serventur.

Dosis maxima singula 0,05.
Dosis maxima pro die 0,15.

Carbo Ligni pulveratus.

Carbonem in struibus lignorum paratum, qualis venalis esse solet, in vasis satis bene clausis ferveface, quoad vapores exhalare desierit, et, simulatque refrigeratus erit, in pulverem redige.

Sit pulvis ater, substantias in Spiritu solubiles non continens. In lamina platinea candefactus, exiguo cinere remanente, sine flamma deflagret.

Carrageen.

Thallus, quem offerunt **Chondrus crispus** (Fucus crispus) et **Gigartina mammillosa**, non major quam magnitudine manus, frondosus, in lacinia tenuiora aut latiora divisus. Aliae Florideae et Algae ne admixtae sint nisi paucissimae. *Partibus triginta* Aquae superfusus thallus lubrice mollis fit et cum iisdem coctus

mucilaginem efficit saporis insipidi, frigore satis spissam, quae Jodo addito colorem caeruleum non trahit.

Caryophylli.

Flores non aperti, quos offert **Eugenia caryophyllata** (Caryophyllus aromatica). Ovarium fuscum, rotundo-tetragonum, *decem* ad *quindecim millimetros* longum, ad *quattuor millimetros* latum in quattuor sepala expanditur, super quae quattuor petala dilucidiora, in globum convergentia eminent. In fractura transversa ope lentis opticae in margine cellulas magnas oleiferas dignoscas, e quibus guttae olei aetherei delabuntur, si Caryophyllos per longitudinem dissectos chartae bibulae impresseris. Odoris et saporis validi sint.

Castoreum.

Bursae cum tractu genitali **Castoris Americani** conjunctae. E binis membranis exterioribus haud facile separandis et interioribus parum conspicuis constant, quae posteriores massam inclusam, in statu sicco nitidam, duram, perfuscam transeunt. Haec massa pulverem clare fuscum, odoris specialis, saporis acris, subamari, calore 100° non liquescentem praebet.

Catechu.

Extractum in India ex plantis, quibus nomina sunt **Uncaria Gambir** et **Areca Catechu**, paratum. In Glycerinum injectum et ope lentis opticae *ducenties* amplifi-

catum contemplanti crystallinum esse apparet. Catechu est saporis constringentis, subamari, postremo subdulcis. Cum Spiritus *partibus decem* coctum ad liquorem limpidum coloris perfusci ita solvitur, ut ex *centum partibus* non magis quam *quindecim* remaneant. Id, quod filtrando effeceris, refrigeratum et *partibus centum* Spiritus dilutum, addito Ferro sesquichlorato colorem viridem ducit. Catechu cum Aquae *partibus decem* ad ebulliendum fervefactum liquorem dat turbidum, laccam musci rubefacientem, qui refrigeratus iterum turbatur; residui, calore 100° siccati, minus remaneat quam ex *centum partibus quindecim.* Catechu combustum cineris ne magis quam *sex* ex *partibus centum* relinquat.

Cera alba.

Cera apium albefacta, calore circiter 64° ad liquorem coloris expertem liquescens. Cera pura in *partibus duabus* Spiritus, cum *partibus septem* Aquae commixtis, deinde calore 15° sepositis, donec omnes bullae aëris inde evanuerint, pendet vel in medio suspensa permanet, si, Aqua addita, pondus specificum Spiritus diluti in 0,965 ad 0,975 auctum erit. Pigmento excepto, Cera alba, quod attinet ad rei naturam, easdem qualitates chemicas, quas Cera flava, praebet; odorem rancidum ne exhalet.

Cera flava.

Massa flava, frigore fracturam granulosam, opacam, non crystallinam praebens, calore 63 ad 64° ad liquo-

rem limpidum odoris suavis, coloris e flavo rubri liquescens. Ceram rigefactam, si microscopio subjeceris, massam confuse crystallinam esse apparet. In Spiritu, cum *pondere triplici* Aquae diluto et calore 15° seposito, donec bullae aëris evanuerint, frustulum Cerae aut in medio suspensum remaneat aut pendere incipiat, si pondus specificum liquoris, Aqua aut Spiritu diluto instillato, in 0,955 ad 0,967 auctum erit. Cera in *partibus trecentis* Spiritus ebullientis ponderis specifici 0,830 ita solvatur, ut restet residuum perexiguum, e fusco flavum. Qua solutione refrigerata, puls crystallina alba praecipitatur; liquor coloris e subflavo pallentis, quem filtrando effeceris, Aqua ne turbetur; idem chartam exploratoriam caeruleam aut prorsus non aut levissime tantum rubefaciat. *Parte una* Cerae per unam horam cum *partibus trecentis* Spiritus ponderis specifici 0,96 ita cocta, ut *pars una* Natrii carbonici candefacti addatur, liquor limpidus. quem plane refrigerando et filtrando effeceris, Acido hydrochlorico ne praecipitetur.

Cerussa.

Pulvis albus, ponderosus, colorem facile mittens aut frusta facile friabilia, in Aqua non solubilia; in Acido nitrico diluto et in Acido acetico effervescentia solvuntur; quae solutio, si Aquam hydrosulfuratam addideris, sedimentum nigrum, sin Acidum sulfuricum dilutum, sedimentum album demittit.

In mixtura ex *parte una* Acidi nitrici et *partibus duabus* Aquae composita Cerussa aut plane solubilis sit,

aut residuum tantummodo exiguum relinquat. Sedimentum, quod in hac solutione Liquore Natri caustici efficitur, in ejus excessu solvatur, quae solutio alcalina nec, cum *gutta una* Acidi sulfurici diluti conquassata, constanter turbetur, nec, hoc Acido plane praecipitata, si filtrata erit, liquorem efficiat, qui Kalio ferro-cyanato aut Liquore Ammonii caustici abunde addito turbetur.

Cerussa candefacta ne minus quam ex *centum partibus octoginta quinque* Plumbi oxydati relinquat.

Caute servetur.

Cetaceum.

Pars solida identidem exprimendo et crystallisando depurata eorum, quae cavis capitum inclusa habent Physeteres, praesertim **Physeter macrocephalus.** Massa crystallina latifoliata, ponderis specifici 0,943, calore 50 ad 54° ad liquorem limpidum, coloris expertem, odoris exigui liquescens. In *partibus quadraginta* Spiritus ebullientis *pars una* Cetacei solvatur; refrigerata in crystalla redit, quo facto liquor filtratus neque chartam exploratoriam mutet neque Aqua valde praecipitetur. Quod si, addita *parte una* Natrii carbonici candefacti, iteraveris, liquor filtratus et acidulatus tantummodo turbetur.

Charta nitrata.

Chartam bibulam

Kalii nitrici *parte una* **1,**

in

Aquae *partibus* quinque **5**

soluta, imbue, tum sicca.

Charta sinapisata.

Charta pulvere Sinapis, qui oleo sebacico liberatus est, inducta.

Indumentum ne sit odoris rancidi et substrato arcte adhaereat.

Charta sinapisata, Aqua humectata, brevi tempore Oleum Sinapis aethereum vehementer redoleat.

Chininum bisulfuricum.

Prismata alba, nitida, saporis amari; cum *partibus undecim* Aquae et *triginta duabus* Spiritus solutiones acidas, colore caeruleo fluorescentes efficiunt. Quarum solutionum alterutra, *partibus* circiter *ducentis* Aquae et *quinquaginta* Aquae chloratae diluta, si Liquorem Ammonii caustici instillaveris, viridis fit. Salis solutio aquosa Baryo nitrico turbatur, Argento nitrico non item. Chininum bisulfuricum in tubo vitreo calore 80° liquescit; *partibus centum* calore 100° siccatis, *partes septuaginta septem* remanent.

Grammatis salis *duobus* cum *grammate uno* Liquoris Ammonii caustici siccatis, residuum examina, sicut de Chinino sulfurico praescriptum est. Chininum bisulfuricum, Acidis nitrico aut sulfurico humectatum, ne coloretur.

A luce remotum servetur.

Chininum ferro-citricum.

Acidi citrici *partibus sex* 6,
in
Aquae *partibus quingentis* 500
solutis, adde
Ferri pulverati *partes tres* ..... 3.
Mixturam saepius movendo per quadraginta octo horas in balneo aquae digestam filtra; ad spissitudinem syrupi tenuis evaporatae et refrigeratae adde
Chinini *partem unam* (e Chinini sulfurici 1,3 *grammatis* Liquore Natri caustici recenter praecipitandam) ..... 1.

Qua plane soluta, liquorem in laminis vitreis vel porcellanicis pansum sicca.

Lamellae nitidae, diaphanae, coloris intense e rubro fusci, saporis amari, ferruginantis, in Aqua lente, sed quavis proportione, in Spiritu paullum solubiles.

Si *gramma unum* Chinini ferro-citrici, in *centimetris cubicis quattuor* Aquae solutum, Liquore Natri caustici temperaveris et cum *partibus decem* Aetheris conquassaveris, Aethere sublato et evaporato, ne minus quam *0,09* Chinini relinquatur.

A luce remotum servetur.

Chininum hydrochloricum.

Acus crystallinae albae, saporis amari; cum *partibus tribus* Spiritus et *triginta quattuor* Aquae solutiones neu-

trales, non fluorescentes exhibent. Quarum alterutra, *partibus* circiter *ducentis* Aquae diluta, si *partes quinquaginta* Aquae chloratae adjeceris, Liquore Ammonii caustici instillato, colorem viridem trahit. In salis solutione Argentum nitricum sedimentum album efficit.

Chinini hydrochlorici *partibus centum* calore 100° siccatis, *partes nonaginta una* remaneant. *Grammatis duobus* salis cum *grammate uno* Natrii sulfurici et *grammatis viginti* Aquae ad siccitatem evaporatis, si residuum cum *grammatis duodecim* Spiritus coctum filtraveris et evaporaveris, Chininum sulfuricum, quod jam relictum erit, sicut de Chinino sulfurico praescriptum est, examinetur.

Chininum hydrochloricum, in *partibus centum* Aquae solutum, Baryo nitrico perpaullum tantummodo, Acido sulfurico diluto nequaquam turbetur; Acido nitrico humectatum ne rubefiat; cum Aquae chloratae quantitate ad solutionem non sufficiente per duodecimam horae partem conquassatum colorem flavum ne trahat.

Chininum sulfuricum.

Acus crystallinae albae, flexibiles, saporis amari, in *partibus sex* Spiritus ebullientis, in *viginti quinque* Aquae ebullientis solubiles. Frigore ad solutionem necessariae sunt *partes octingentae*; quae solutio non fluorescit, in chartam exploratoriam reactionem aut nullam efficit aut non acidam; *gutta una* Acidi sulfurici diluti adjecta, caeruleo colore fluorescit. Solutionis aquosae frigore saturatae *partes quinque*, si *parte una* Aquae

chloratae temperaveris, Liquore Ammonii caustici instillato, colorem viridem trahunt. Solutio aquosa Baryo nitrico praecipitatur, Argento nitrico non item. Chinini sulfurici *partibus centum* calore 100° siccatis, ne minus quam *octoginta quinque partes* relinquantur.

Grammatis duobus Chinini sulfurici calore 15° cum *centimetris cubicis viginti* Aquae conquassatis, post semihoram *centimetros cubicos quinque* in tubulum exploratorium filtra; quo facto paullatim Liquorem Ammonii caustici adde, donec Chininum expulsum rursus solutum erit. Ad quod efficiendum qua opus fuerit copia Liquoris Ammonii caustici *centimetros cubicos septem* ne excedat.

Chininum sulfuricum, Acido nitrico aut sulfurico humectatum, ne coloretur.

Chinini sulfurici *gramma unum* in *centimetris cubicis septem* mixtionis, e *voluminibus duobus* Chloroformii et *volumine uno* Spiritus absoluti compositae, si paulisper calore 40 ad 50° calefeceris, plane solvatur; quae solutio vel refrigerata plane limpida permaneat.

Chinioïdinum.

Massa coloris fusci vel ex nigro fusci, resinacea, facile fragilis, fracturae conchatae, nitidae, saporis amari, in Aqua parum solubilis; facile solubilis in Aqua acidulata, in Spiritu, in Chloroformio.

Chinioïdini *gramma unum* in mixtione, ex Acidi acetici diluti *grammate uno* et Aquae *grammatis novem* composita, frigore ad liquorem limpidum ita solvatur, ut resi-

duum remaneat exiguum. Chinioïdini *gramma unum* in *grammatis novem* Spiritus diluti frigidi limpide solvatur. Chinioïdinum combustum cineris ne plus quam *0,5* ad *0,7* ex *partibus centum* relinquat.

Chloralum hydratum.

Crystalla sicca, coloris expertia, in aëre persistentia, pellucida, calore 58° liquescentia, odoris spinosi, saporis subamari, caustici, facile solubilia in Aqua, Spiritu, Aethere, minus in oleis sebacicis et Carboneo sulfurato, omnino non in Chloroformio frigido. Cum Liquore Natri caustici calefacta solutionem dant turbidam, quae, Chloroformio secedente, fit limpida.

Chloralum hydratum, in *partibus decem* Spiritus solutum, chartam exploratoriam caeruleam vix rubefaciat et, si Acido nitrico acidulaveris, Argento nitrico addito dumtaxat leviter opalescat. Fervefactum volatile sit, gasa inflammabilia non emittens.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 3,0.
Dosis maxima pro die 6,0.

Chloroformium.

Liquor limpidus, coloris expers, odoris specialis, saporis subdulcis, in Aqua perpaullum, in Spiritu, Aethere, oleis sebacicis facile solubilis; calore 60 ad 61° ebullit, ponderis specifici est 1,485 ad 1,489.

Chloroformium si cum Liquore Kali caustici spirituoso,

addito Anilino sulfurico, concalefeceris, odor penetrans et insuavis oritur.

Aqua, cum Chloroformio conquassata, chartam exploratoriam caeruleam ne rubefaciat, neve, si cum Liquore Argenti nitrici volumetrico, *partibus aequalibus* Aquae diluto, caute per strata disjunxeris, hunc turbet. Guttae Chloroformii, per stratum Solutionis Kalii jodati *centimetros* minimum *tres* longum cadentes, ne colorentur.

Odore suffocante Phosgenii sit liberum.

Grammata viginti Chloroformii, si cum *grammatis quindecim* Acidi sulfurici in tubo *centimetros tres* amplo et epistomio vitreo clauso, quem antea Acido sulfurico elueris, saepius conquassaveris, hoc intra unam horam ne colorent.

Caute, a luce remotum, servetur.

Chrysarobinum.

Pulvis flavus, levis, crystallinus, depurando paratus ex massa, quam **Andira Araroba** in cavernis truncorum secretam habet. Chrysarobinum, cum Aquae *duobus milibus partium* coctum, non plane solvitur illud quidem, sed, si filtraveris; liquorem coloris e subfusco rubescentis, saporis expertem efficit, qui neque chartam exploratoriam mutat neque Liquore Ferri sesquichlorati coloratur. Chrysarobinum, cum Liquore Ammonii caustici conquassatum, unius diei tempore colorem belle coccineum trahit. Si *guttam unam* Acidi nitrici fumantis *grammate 0,001* Chrysarobini consperseris, solutio rubra, in stratum tenue expansa et Liquore Ammonii caustici humectata, colorem violaceum ducit.

Chrysarobinum, Acido sulfurico inspersum, solutionem coloris e subrubro flavi efficiat. In Spiritus fervidi *partibus centum quinquaginta*, residuo minimo remanente, solvatur. In patella aperta ferveſactum liquescit, vapores flavos emittit, tum paullum carbonescit, postremo sine residuo deflagret necesse est.

Quotiescunque Acidum chrysophanicum ad usum externum praescriptum erit, Chrysarobinum dispensandum est.

Codeïnum.

Crystalla saepe distincte octaëdrica, coloris expertia vel alba, quae cum *partibus octoginta* Aquae solutionem alcalinam saporis amari praebent. Codeïnum cum Aqua coctum, antequam solvatur, liquescit et guttas limpidas efficit, quae refrigeratae crystalline rigescunt.

Facile solvitur in Spiritu, Aethere, Chloroformio, parum in Benzino Petrolei. Crystalla calore fatiscunt; Codeïnum anhydrum calore 155° liquescit. In acidis dilutis facile, in Liquore Kali caustici parum, in Liquore Ammonii caustici fere eadem proportione solvitur atque in Aqua. *Grammata 0,005* Codeïni cum *grammatis decem* Acidi sulfurici solutionem coloris expertem praebent, quae leniter calefacta, additis *guttis duabus* Liquoris Ferri sesquichlorati dilutissimi, colorem intense caeruleum trahit.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 0,05.
Dosis maxima pro die 0,2.

Coffeïnum.

Acus albae, nitidae, flexibiles, cum *partibus octoginta* Aquae solutionem neutralem saporis subamari praebent, in *pondere duplici* Aquae fervidae solvuntur, refrigeratae in pultem crystallinam rigescunt. Coffeïni *pars una* in *partibus* circiter *quinquaginta* Spiritus aut in *partibus novem* Chloroformii solvitur; in Aethere parum solubile est. Coffeïnum anhydrum, caute fervefactum, calore 180° excedente sine residuo sublimatur.

Coffeïno in Aqua chlorata soluto et in balneo aquae evaporato, residuum e flavo rubrum remanet, quod, si pauxillum Liquoris Ammonii caustici statim admiscueris, in colorem belle purpureum transit. Solutio aquosa, frigore saturata, nec Aqua chlorata nec Solutione Jodi turbatur. In eadem solutione Acidum tannicum sedimentum copiosum efficit, quod, si plus Acidi tannici addideris, evanescit.

Dosis maxima singula 0,2.
Dosis maxima pro die 0,6.

Collodium.

Acidi nitrici crudi *partes quadringentas* . . . **400**
ponderis specifici 1,380 cum
Acidi sulfurici crudi *partibus mille* **1000**
ponderis specifici 1,830 caute misce;
in quam mixtionem ad calorem 20°
refrigeratam imprime
Gossypii depurati *partes quinquaginta quinque* **55.**

tum per viginti quattuor horas calore 15 ad 20° sepone. Quo facto mixtio, in infundibulum immissa, per viginti quattuor horas seponatur, ut, quod acidorum nimium sit, guttatim delabatur. Lanam Collodii in vase relictam Aqua tamdiu elue, quoad acidum plane remotum erit, tum expressam calore 25° sicca. Cujus lanae Collodii

Partes duas 2,

cum

Aetheris *partibus quadraginta duabus* 42

bene conquassatas,

Spiritus *partibus sex* 6

tempera et, donec solutae erunt, conquassa. Quo facto per aliquot hebdomades sepositas limpide decantha.

Liquor neutralis, coloris expers vel subflavescens, spissitudinis syrupi; in strata tenuia dilatatus, Aethere spirituoso evaporato, cuticulam coloris expertem, arcte cohaerentem relinquat.

Collodium cantharidatum.

Cantharidum grosso modo pulveratarum

partes quinquaginta 50

Aetheris *partibus octoginta* 80

per triduum saepius conquassando macera, tum cola et Cantharidibus tantum Aetheris affunde, ut colatura sit

Partium quadraginta duarum ..... 42.
Quam, adjectis
Lanae Collodii *partibus duabus* 2
et
Spiritus *partibus sex* 6,
usque ad solutionem conquassa.

Sit liquor neutralis, limpidus, coloris olivacei, spissitudinis syrupi; in strata tenuia dilatatus, Aethere spirituoso evaporato, cuticulam viridem, arcte cohaerentem relinquat.

Caute servetur.

Collodium elasticum.

Collodii *partes quadraginta novem* ..... 49.
Olei Ricini *parte una* 1
misce.

Colophonium.

Resina, quam offerunt Coniferae, praesertim **Pinus australis** et **Pinus Taeda**, Oleo Terebinthinae liberata. Massa laticonchata, in particulas acute angulatas dissiliens, coloris subflavi vel clare fusci, ponderis specifici 1,068 ad 1,070. In balneo aquae Colophonium ad liquorem tenacem, limpidum liquescit, qui vehementius fervefactus vapores ponderosos, albos, aromaticos emittit. Calore 60° in *pondere aequali* et Spiritus et Acidi acetici lente solvitur; in quorum liquorum utroque frigore lentissime crystalla Acidi abietinici oriuntur.

Cortex Cascarillae.

Cortex, quem offert **Croton Eluteria.** Tubi duri, plerumque minus quam *decimetrum unum* longi et *centimetrum unum* lati, aut frusta canaliculata, *millimetros unum* ad *duos* crassa. Partim subere clare griseo tecta sunt, locis denudatis coloris e griseo subflavi vel fusci longestriata et transverse rimosa; superficies interior subfusca aequabiliter et subtiliter granulata est; fractura brevis, clivosa, nitoris oleosi, intrinsecus subtilissime radiata. Cortex Cascarillae est odoris distincte aromatici, saporis vehementer aromatici et amari; ligni fragmenta intermixta ante usum removeantur.

Cortex Copalchi, quem offert **Croton niveus,** ex tubis vel canaliculis constat multo amplioribus, fracturae grosse radiatae, saporis paullo acrioris, quam Cortex Cascarillae; longitudine *pedem unum,* diametro *centimetros duos,* crassitudine *millimetros quattuor* aequat. Quem corticem Copalchi cave ne adhibeas.

Cortex Chinae.

Cortices et trunci et ramorum, quos offerunt Cinchonae cultae, praecipue **Cinchona succirubra;** saepe tubos *decimetros* circiter *sex* longos, *centimetros unum* ad *quattuor* latos, *millimetros duos* ad *quattuor* crassos, nec non semitubos *voluminis analogi* praebent. Qui cortices fragiles suber ferunt tenue, e griseo subfuscum, grossis rugis per longitudinem et brevibus rimis e transverso praeditum, superficiem interiorem habent e fusco rubram, fibrosam. Microscopii ope in Cortice Chinae

libri fibrae, Cinchonas insignientes, dignoscuntur. Corticis *grammate 0,1* in tubulo vitreo candefacto, pix liquida belle coccinea oritur.

Cortex Chinae redigi potest ad pulverem e rubro fuscum, qui non minus contineat substantiae alcaloideae quam in *centum partibus tres et dimidiam.* Cujus pulveris *grammatis viginti* cum *grammatis decem* Liquoris Ammonii caustici, *grammatis viginti* Spiritus, *grammatis centum septuaginta* Aetheris identidem ac vehementer conquassatis, uno die peracto *grammata centum viginti* limpide decantha. *Centimetris cubicis tribus* Acidi hydrochlorici volumetrici additis, Aetherem destillando aut exhalando remove, tum, si necesse erit, tantum Acidi hydrochlorici adde, quantum ad acidulandum requiritur. Quo facto liquor filtratus frigore cum *centimetris cubicis tribus et dimidio* Liquoris Kali caustici volumetrici commiscetur. Simulatque substantiae alcaloideae subsederint, in liquorem limpidum superstantem tantum Liquoris Kali caustici instilla, quantum requiritur, ut sedimentum subsequens non oriatur. Postremo sedimenta in filtrum collecta elue paullatim exigua Aqua, donec guttae defluentes, dum in superficiem solutionis Chinini sulfurici aquosae, neutralis, frigore saturatae incidunt, hanc turbare desierint. Liquore delapso, alcaloidea inter chartam bibulam leniter pressa aëre tantum sicca, quantum satis est, ut, in parvam patinam vitream immissa, super Acido sulfurico et postremo in balneo vaporis prorsus siccari possint.

Alcaloidea sic effecta ne sint ponderis minoris quam *grammatum 0,42.* Quorum pauxillum si cum *pondere*

Aquae *trecenties* tanto majore coxeris, refrigeratione facta, flocci Chinini in liquore filtrato praecipitentur. Cujus solutionis decanthatae et refrigeratae *partibus quinque* si *partem unam* Aquae chloratae addideris et statim Liquorem Ammonii caustici instillaveris, color belle viridis oriatur.

Cortex Cinnamomi.

Ramorum vel recentiorum truncorum cortex, quem offerunt species **Cinnamomi** Chinae meridionalis. Tubi vel semitubi pedales, *centimetros dimidium* ad *tres* aut supra ampli, *millimetros unum* ad *tres* crassi, intus fusci, subere e subfusco griseo, paullum rimoso tecti aut subere paene prorsus liberati, plerique non crassiores quam *millimetrum* circiter *unum*, tum iidem superficiei clare fuscae, per longitudinem venosae. Cortex Cinnamomi illo aromate, quod ei proprium est, valde praeditus sit; nec habeat saporem alienum pituitarium.

Cortex Condurango.

Cortex, quem offert **Gonolobus Cundurango.** Sunt frusta canaliculata vel tubi recurvati circiter *unum decimetrum* longi et *unum* ad *septem millimetros* crassi, quorum superficies coloris subfusci vel e fusco grisei gibbosa et per longitudinem rugosa, facies interior clare grisea, per longitudinem solide striata est. Sectio transversa sub subere tenui, fusco telam aequabilem, albidam, flexuose radiatam, grandibus cellulis indu-

ratis coloris fusci et uberibus copiis Amyli instructam exhibet. Cortex facilis est ad dissecandum; ex ejus fractura granulosa rarae fibrae prominent.

Saporis est paullum amari, subacris.

Cortex Frangulae.

Cortex, quem offert **Rhamnus Frangula.** Tubi ad *decimetros tres* longi, *millimetrum unum et dimidium* crassi, superficiei subpullae vel griseae, lenticellis crebris conspersae, intus perfusci, fractura longitudinali flava, fibrosa. Cortex saporis est pituitosi, paullum subdulcis et subamari; in Aqua Calcariae maceratus intus colorem belle rubrum trahit. Infusum Corticis Frangulae fuscum, Ferro sesquichlorato addito, colorem perfuscum trahit nec turbatur.

Cortex Fructus Aurantii.

Cortices fructuum maturorum, quos offert **Citrus vulgaris,** forma quadrantum longitudinalium a fructibus e rubro flavis, amaris abstracti. Siccati superficiem gibbosam, subfuscam habent, sub qua multae lacunae oleiferae in telam interiorem albam prominent. Cortices Fructuum Aurantiorum sunt aromatici, simulque saporis peramari. Maxima parte telae albae resecta, nihil nisi flavedo fructus adhibeatur.

Cortex Fructus Citri.

Cortices fructuum maturorum, quos offert **Citrus Limonum**, in taenias spirales concisi et siccati. Sub superficie gibbosa, foveolenta, e subfusco flava plurimae lacunae oleiferae et tela alba crassitudinis exiguae positae sunt. Cortices sunt aromatici, subamari

Cortex Granati.

Cortex, quem offert **Punica Granatum.** Cortex trunci ex tubis aut frustis canaliculatis, plerumque minus quam *decimetrum unum* longis, *millimetros unum* ad *tres* crassis, saepe recurvatis constat. Cujus superficies subgrisea asserculis suberosis claris per longitudinem transjecta et plerumque lichenibus nigris (Arthonia astroidea, Arthonia punctiformi, Arthopyrenia atomaria creberrime) consita est, quos lentis opticae ope distincte dignoscere licet. Corticis tela interior est subflava, superficies interior magis subfusca. Radicis cortex, quod ad reliqua attinet, cortici stirpis non dissimilis subere coloris saepe potius in subfuscum abeuntis tegitur. Quod suber in frustis maximis desquamationes alveolatas praebet, nec lichenibus circumdatum est. Asserculis longitudinalibus aequalioribus cortex radicis caret.

Cortice Granati cum *pondere centuplo* Aquae conquassato, post horam extractum subflavum efficitur, in quo Aqua Calcariae flocculi rubri praecipitantur. Solutione Ferri sesquichlorati (1 = 1000) addita, extractum aquosum corticis colorem caeruleum trahit.

Cortex Quercus.

Cortex recentior, quem offert **Quercus Robur**, praesertim qui corticis specularis nomen habet. Tubi diametro *centimetros unum* ad *tres* aequantes, *millimetros unum* ad *tres* crassi, superficiei griseae vel fuscae. Haec in corticibus recentioribus laevis et nitida est, in vetustioribus paullum rimosa et iniqua, intus fusca et crasse fibrosa. Cortex Quercus est saporis maxime adstringentis; quocum Aquae *partes centum* conquassatae extractum subfuscum praebent, in quo solutione Ferri sesquichlorati (1 = 100) sedimentum e nigro caeruleum efficitur.

Crocus.

Stigmata coloris saturati e fusco rubri, quae offert **Crocus sativus;** sint odoris fortis, saporis aromatici, amari. Si Aqua molliveris, tubos *centimetros tres* longos, superiore margine ampliatos, dentatos, altera parte scissos esse apparet. Styli coloris e flavo pallentis, qui terna stigmata ferunt, quam paucissimi adsint. Crocus, *partibus decem* Aquae temperatus, liquorem dat e flavo rubrum, saporis haud dulcis, qui *decem milibus partium* Aquae dilutus flavum colorem praebet. Calore 100° ex *centum partibus* minus quam *quattuordecim* Aquae amittat, tum combustus cineris ne plus relinquat quam *ex centum partibus octo.*

A luce remotus servetur.

Cubebae.

Fructus parvi, immaturi, quos offert **Cubeba officinalis**, globosi, maxime *quinque millimetrorum* diametro. Pericarpium intense e griseo fuscum, rugosum, *quartam millimetri partem* crassum in petiolum ad *unum centimetrum* longum, vix *unum millimetrum* crassum, extenuatum est. Endocarpium clarum, fragile includit semen unum, basi tantummodo affixum, plerumque corrugatum. Cubebae sunt saporis penetrantis, aromatici, non acris, sed simul paullum subamari. Pedunculi fructuum ad *quattuor centimetros* longi, crassiores quam *duos millimetros* removeantur.

Cuprum oxydatum.

Cupri sulfurici *partes decem* **10,**
Natrii carbonici *partes quindecim* **15,**
utrasque separatim in
Aquae fervidae *partibus quinquaginta* **50**
solutas, agitando commisce, tum paullum temporis caleface, ut in solum vasis sedimentum densum praecipitetur; sedimentum in filtrum collectum et elutum sicca, siccatum leniter candeface.

Pulvis niger, non crystallinus, ponderosus, in Acido nitrico diluto facile ita solvitur, ut neque Acidum carbonicum emittat, neque ullum residuum relinquat.

Parte aliqua solutionis nitricae Hydrogenio sulfurato plane praecipitata, id quod filtratum erit, sit coloris expers, exhalatum ne relinquat residuum; alia pars,

Liquore Ammonii caustici abunde temperata, solutionem limpidam, intense caeruleam praebeat. Cupri oxydati *gramma unum* si *centimetro cubico uno* Solutionis Ferri sulfurici superfuderis atque *centimetrum cubicum unum* Acidi sulfurici lente addideris, zona intermedia fusca ne oriatur.

Caute servetur.

Cuprum sulfuricum.

Crystalla caerulea, pellucida, aëre sicco non multum fatiscentia, in *partibus 3,5* Aquae frigidae, in *una* ebullientis solubilia, in Spiritu non item. In solutione aquosa Baryo nitrico sedimentum album, in Acido hydrochlorico non solubile, Liquore Ammonii caustici abunde affuso liquor limpidus, intense caeruleus efficitur.

Cupro in solutione aquosa Hydrogenio sulfurato praecipitato, liquor coloris expers, quem filtrando effeceris, evaporatus residuum ne relinquat.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 1,0.

Cuprum sulfuricum crudum.

Crystalla caerulea, plerumque grandia, pellucida aut crustae crystallinae, quae paullum fatiscunt.

In *partibus 3,5* Aquae frigidae, in *una* ebullientis solubile est. Quae solutio reactionis acidae, Liquore Ammonii caustici abunde addito, liquorem intense caeruleum, limpidum vel paene limpidum efficit.

Caute servetur.

Decocta.

Decocta, ad quae efficienda quantum substantiae adhibendum sit praescriptum non est, ita parentur, ut *unam* substantiae *partem* ad *decem* colaturae efficiendas adhibeas.

Unde excipiuntur et ea medicamenta, quorum dosis maxima definita est, et substantiae maxime pituitosae. Illorum quantum adhibeatur, a medico praescribendum est, harum pharmacopoei judicio permittitur.

Substantiam, ex qua Decoctum parandum est, in vase idoneo Aqua frigida superfunde et per semihoram vaporibus balnei aquae ebullientis interdum agitando expone, tum liquorem adhuc calentem exprime.

Decoctum Sarsaparillae compositum fortius.

Radicis Sarsaparillae concisae *partes centum* **100**
digere cum
Aquae *duobus milibus sexcentis partibus* **2600**
per viginti quattuor horas. Deinde additis
Saccharii *partibus quinque* **5**
et
Aluminis *partibus quinque* **5**
per horas tres calori balnei aquae ebullientis in vase tecto ita objice, ut saepius agites. Quam mixturam, adjectis

Fructuum Anisi crasse contusorum *partibus quinque* 5,
Fructuum Foeniculi crasse contusorum *partibus quinque* 5,
Foliorum Sennae concisorum *partibus viginti quinque* 25,
Radicis Liquiritiae concisae *partibus decem* 10,
per horae quadrantem iterum digere et exprimendo cola.

Colaturae, postquam subsederit et decanthata erit, affunde tantum Aquae, ut pondus sit *partium duorum milium quingentarum.*

Decoctum Sarsaparillae compositum mitius.

Radicis Sarsaparillae concisae *partes quinquaginta* 50
digere cum
Aquae *duobus milibus quadringentis partibus*. 2400
per viginti quattuor horas; tum per horas tres calori balnei aquae ebullientis in vase tecto ita objice, ut saepius agites.

Quod decoctum, additis
Corticis Fructus Citri concisi *partibus quinque* 5,
Corticis Cinnamomi contusi *partibus quinque* 5,
Fructuum Cardamomi contusorum *partibus quinque* 5,

Radicis Liquiritiae concisae *partibus quinque* 5,
per quadrantem horae digere et exprimendo cola.

Colaturae, postquam subsederit et decanthata erit, affunde tantum Aquae, ut pondus sit *partium duorum milium quingentarum.*

Elaeosacchara.

Olei aetherei praescripti *guttam unam* 1
Sacchari pulverati *grammatis duobus* 2
misce.

Ne paretur, nisi praescriptum erit.

Electuarium e Senna.

Foliorum Sennae pulveratorum *partes decem* . . 10
cum
Syrupi simplicis *partibus quadraginta* 40
et
Pulpae Tamarindorum depuratae *partibus quinquaginta* 50
commixtas in balneo vaporis caleface.

Electuarium sit e subviridi fuscum.

Elixir amarum.

Extracti Absinthii *partes decem* 10
et
Elaeosacchari Menthae piperitae *partes quinque* 5
contere cum

Aquae *partibus viginti quinque* ..... **25.**
Quibus contritis affunde
Tincturae aromaticae *partes quinque* **5**
et
Tincturae amarae *partes quinque* ..... **5.**
Sit liquor paullulum turbidus, intense fuscus.

Elixir Aurantiorum compositum.

Corticis Fructus Aurantii concisi *partes quinquaginta*..... **50,**
Corticis Cinnamomi contusi *partes decem* . **10,**
Kalii carbonici *partes duas et dimidiam* . . **2,5**
superfunde
Vini Xerensis *partibus ducentis quinquaginta* **250**
et macera per dies octo.
In liquore, quem exprimendo effeceris et tanta copia Vini Xerensis temperaveris, ut *partes* sint *ducentae triginta*, solve
Extracti Gentianae *partes quinque* **5,**
Extracti Absinthii *partes quinque* **5,**
Extracti Trifolii fibrini *partes quinque* **5,**
Extracti Cascarillae *partes quinque*..... **5.**
Mixtionem, postquam subsederit, filtra.
Sit liquor limpidus, fuscus, saporis aromatici et amari.

Elixir e Succo Liquiritiae.

Succi Liquiritiae depurati *partibus decem* **10,**
in
Aquae Foeniculi *partibus triginta* **30**
solutis, admisce
Liquoris Ammonii anisati *partes decem* ..... **10.**

Mixturam per biduum sepositam decantha.

Liquor turbidus, fuscus, qui, Aquae *partibus decem* dilutus, limpidus fiat.

Emplastrum adhaesivum.

Emplastri Lithargyri *partes quingentas*..... **500**
liquefactas coque, donec omnis Aqua evaporata erit. Cui massae, colorem subgriseum ducenti, calore 60 ad 80° adde
Cerae flavae *partes quinquaginta*..... . **50**
et mixtionem, ex
Resinae Dammar *partibus quinquaginta* .... **50.**
Colophonii *partibus quinquaginta* **50,**
Terebinthinae *partibus quinque*... ..... **5**
liquefaciendo paratam.

Emplastrum sit paullum flavescens et valde adhaerens.

Emplastrum Cantharidum ordinarium.

Cantharidum pulveratarum *partes quinquaginta* 50
et
Olei Olivarum *partes viginti quinque* 25
digere per aliquot horas, tum, additis
Cerae flavae *partibus centum* 100
et
Terebinthinae *partibus viginti quinque* . . . . . 25.
in balneo vaporis liquefaciendo bene misce.
Sit emplastrum molle.

Emplastrum Cantharidum perpetuum.

Colophonii *partibus septuaginta* 70,
Cerae flavae *partibus quinquaginta* . . . . . 50.
Terebinthinae *partibus triginta quinque* 35,
Sebi ovilis *partibus viginti* 20
leni calore liquefactis admisce
Cantharidum subtiliter pulveratarum *partes viginti* 20
et
Euphorbii subtiliter pulverati *partes quinque*. 5.
Sit emplastrum e subviridi nigrum.

Emplastrum Cerussae.

Emplastri Lithargyri *partibus sexaginta* **60**
et
Olei Olivarum communis *partibus decem* **10**
liquefactis admisce
Cerussae subtiliter pulveratae *partes triginta quinque* . . . . . **35.**

Quod mixtum interdum Aquam addens et saepius agitans coque, donec emplastri spissitudinem acceperit. Sit emplastrum album, durum.

Emplastrum fuscum camphoratum.

Minii subtiliter pulverati *partes triginta* **30**
et
Olei Olivarum communis *partes sexaginta* **60**
continenter agitans coque, donec colorem e nigro fuscum duxerint. Tum adde
Cerae flavae *partes quindecim* **15**
et
Camphorae cum exigua parte Olei Olivarum contritae *partem unam* **1.**

Sit emplastrum e nigro fuscum, tenax, Camphoram redolens.

Emplastrum Hydrargyri.

Hydrargyri *partes centum* **100,**
addita *aliqua* Olei Terebinthinae *parte*, exactissime contere cum

Terebinthinae *partibus quinquaginta* . . . . . **50.**

Quas contritas mixtioni ex

Emplastri Lithargyri *partibus trecentis* **300**

et

Cerae flavae *partibus quinquaginta* **50**

liquando effectae et semirefrigeratae ita adde, ut fiat massa aequabiliter composita.

Sit emplastrum griseum, in quo globuli Hydrargyri non veniant in conspectum nisi adjumento lentis opticae.

Emplastrum Lithargyri.

Olei Olivarum communis,
Adipis suilli,
Lithargyri subtiliter pulverati

singulorum *partes aequales* moderato igne, Aqua subinde instillata, continenter agitando coque, donec fiat emplastrum ejus qua opus est duritiae.

Sit emplastrum album, tenax, non unguinosum, Lithargyri non soluti nihil continens.

Emplastrum Lithargyri compositum.

Emplastri Lithargyri *partibus centum viginti* . . **120**

et

Cerae flavae *partibus quindecim* . . . . . **15.**

leni calore liquefactis et semirefrigeratis, adde

Ammoniaci *partes decem* . . . . . **10.**

Galbani *partes decem* . . . . . **10.**

Terebinthinae *partes decem* . . . . . **10.**

quas, *aliqua parte* Aquae instillata, in balneo vaporis antea miscueris et colaveris.

Sit emplastrum flavidum, paullatim furvescens, tenax, prorsus aequabiliter mixtum.

Emplastrum saponatum.

Emplastri Lithargyri *partibus septuaginta* 70
et
Cerae flavae *partibus decem* 10
moderato calore liquatis et semifrigeratis agitando adde
Saponis medicati pulverati *partes quinque*.... 5
et
Camphorae *partem unam*..... 1.
cum *exigua parte* Olei Olivarum contritam.

Sit emplastrum e subflavo album, non lubricum.

Emulsiones.

Emulsiones seminales, alio non praescripto, parentur ex

Seminis *parte una* 1
et
Aqua *tanta*, ut colaturae sint
Partes decem..... 10.

Emulsiones oleosae eadem ratione parentur ex

Olei Amygdalarum *partibus duabus* ..... 2.
Gummi Arabici pulverati *parte una*..... 1,
Aquae *partibus septendecim* ..... 17.

Euphorbium.

Gummi-resina, quam offert **Euphorbia resinifera,** facile friabilis, subflavescens. Pulvinaribus foliorum bicuspidatis, claviculis florum, fructibus tricoccis circumfusa praebet extrema lineamenta harum plantae particularum. Saporis est continenter ustulantis, acris.

Caute servetur.

Extracta.

Substantiae ad Extracta paranda destinatae minutim et aequabiliter concidantur vel contundantur. Maceratio fiat calore 15 ad 20°, digestio calore 35 ad 40°, utraque ita ut saepius agites.

Liquores aquosi statim ad *tertiam partem voluminis* evaporentur, tum per aliquot dies loco frigido sepositi colentur.

Liquores spirituosi et aetherei decanthentur et filtrentur.

Omnes liquores agitati ad spissitudinem extracti evaporentur; evaporatio Extractorum aquosorum et spirituosorum fiat calore minore 100°, aethereorum calore minore 50°.

Extractorum, quod ad spissitudinem attinet, tres sunt gradus:

1. **tenuiorum,** quae sunt densitate mellis recentis,
2. **spissiorum,** quae refrigerata effundi non possunt,
3. **siccorum,** quae conteri possunt.

Haec ita parentur, ut Extracta in vasis porcellanicis evaporentur, dum massa tenax et, si refrixerit, friabilis facta erit. Quam adhuc calentem, ope spathulae e vase exemptam et in taenias extenuatam, leni calore sicca.

Ferri bacillum parvum, nitidum, si in solutionem Extracti (1 = 4) *nonnullis guttis* Acidi hydrochlorici acidulatam immerseris, semihora circumacta colorem subrubrum ne trahat.

Extracta narcotica sicca ex Extractis spissis ita parentur, ut

Extracti *partes quattuor* 4
cum
Radicis Liquiritiae subtiliter pulveratae *partibus tribus* 3

in calefacta patina porcellanica mixtas calore 40 ad 50° sicces, quoad ponderis jam nihil amittant.

Massae siccae, priusquam refrixerit, contritae tantum Radicis Liquiritiae subtiliter pulveratae admisce, ut fiat *duplex copia* Extracti adhibiti.

Solutiones Extractorum narcoticorum hoc praescripto paratas in promptu habere licet:

Extracti *partes decem* . . . . . 10.
Aquae *partes sex* . . . . . 6.
Spiritus *partem unam* . . . . . 1.
Glycerini *partes tres* . . . . . 3.

Extractum Absinthii.

Herbae Absinthii *partes viginti* . . . . . 20.
admixtis

Spiritus *partibus quadraginta* **40**
et
Aquae *partibus sexaginta* **60,**
per horas viginti quattuor macera.
Quibus expressis, id, quod restiterit, admixtis
Spiritus *partibus viginti* **20**
et
Aquae *partibus triginta* **30,**
iterum per horas viginti quattuor macera.

Liquores exprimendo effectos evaporando ad Extractum **spissum** redige.

Sit e viridi fuscum, in Aqua turbide solubile.

Extractum Aconiti.

Tuberum Aconiti *partes viginti* **20,**
admixtis
Spiritus *partibus quadraginta* **40**
et
Aquae *partibus triginta* **30,**
per dies sex macera.
Quibus expressis, id, quod restiterit, admixtis
Spiritus *partibus viginti* **20**
et
Aquae *partibus quindecim* **15,**
per triduum iterum macera.

Liquores exprimendo effectos evaporando ad Extractum **spissum** redige.

Sit e flavo fuscum, in Aqua turbide solubile.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 0,02.

Dosis maxima pro die 0,1.

Extractum Aloës.

Aloës *partem unam* **1**

solve in

Aquae ebullientis *partibus quinque* ..... **5.**

Solutionem prorsus refrigeratam biduo post de resina decantha et colatam evaporando ad Extractum **siccum** redige.

Sit e flavo fuscum, in Aqua turbide solubile.

Extractum Belladonnae.

Herbae Belladonnae recentis et florescentis *partes viginti* **20,**

Aquae *parte una* **1**

conspersas, in mortario lapideo contunde, tum exprime.

Quod idem,

Aquae *partibus tribus* **3**

additis, itera.

Liquores commixtos et ad 80° calefactos cola, colatos evaporando ad *partes duas* redige, tum

Spiritus *partibus duabus* 2

tempera.

Mixtionem interdum conquassatam, horis viginti quattuor circumactis, cola. Residuum sic effectum, cum

Spiritus diluti *parte una* 1

in vase clauso paullulum calefactum, identidem conquassa. Quo facto liquorem, postquam subsederit, limpide decanthatum alteri affunde; mixtos filtra et evaporando ad Extractum **spissum** redige.

Sit perfuscum, in Aqua paene limpide solubile.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 0,05.

Dosis maxima pro die 0,2.

Extractum Calami.

Rhizomatis Calami *partes viginti* 20

Spiritus *partibus quadraginta* 40

et

Aquae *partibus sexaginta* 60

inter se mixtis per horas viginti quattuor macera. Quibus expressis, id, quod restiterit,

Spiritus *partibus viginti* 20

et

Aquae *partibus triginta* 30

inter se mixtis per horas viginti quattuor iterum macera.

Liquores exprimendo effectos evaporando ad Extractum **spissum** redige.

Sit e rubro fuscum, in Aqua turbide solubile.

Extractum Cannabis Indicae.

Herbae Cannabis Indicae *partem unam* 1
Spiritus *partibus quinque* 5
per dies sex macera. Quibus expressis, id, quod restiterit,
Spiritus *partibus quinque* 5
per triduum iterum macera.

Liquores exprimendo effectos evaporando ad Extractum **spissum** redige.

Sit coloris e nigro viridis, in Aqua non solubile.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 0,1.
Dosis maxima pro die 0,4.

Extractum Cardui benedicti.

Herbae Cardui benedicti *partem unam* . . . . . 1.
Aquae ebullientis *partibus quinque* 5
superfusam, digere per horas sex. Quibus expressis, id, quod restiterit,
Aquae ebullientis *partibus quinque* 5
superfusum, iterum digere per horas tres.

Liquores exprimendo effectos misce et evaporando ad Extractum **spissum** redige.

Sit fuscum, in Aqua turbide solubile.

Extractum Cascarillae.

Corticis Cascarillae *partem unam* 1,
Aquae ebullientis *partibus quinque* 5
superfusam, in horas viginti quattuor sepone. Quibus expressis, id, quod restiterit,
Aquae ebullientis *partibus quinque* 5
superfusum, in horas viginti quattuor iterum sepone.

Liquores exprimendo effectos decantha et, Spiritus diluti *exigua parte* denique addita, evaporando ad Extractum **spissum** redige.

Sit perfuscum, in Aqua turbide solubile.

Extractum Chinae aquosum.

Corticis Chinae *partem unam* ..... 1.
Aquae *partibus decem* 10
affusis, per horas quadraginta octo macera. Quibus expressis, id, quod restiterit,
Aquae *partibus decem* 10
affusis, per horas quadraginta octo iterum macera.

Liquores exprimendo effectos ita evapora, ut residuum sit *duarum partium*, quod refrigeratum filtra et evaporando ad Extractum **tenue** redige.

Sit e rubro fuscum, in Aqua turbide solubile.

Extractum Chinae spirituosum.

Corticis Chinae *partem unam* 1,
Spiritus diluti *partibus quinque* 5
additis, macera per dies sex. Quibus expressis, id, quod restiterit,

Spiritus diluti *partibus quinque* 5
additis, per triduum iterum macera.

Liquores exprimendo effectos misce et evaporando ad Extractum **siccum** redige.

Sit e rubro fuscum, in Aqua turbide solubile.

Extractum Colocynthidis.

Fructuum Colocynthidis *partes duas* ..... 2.
Spiritus diluti *partibus quindecim* 15
admixtis, macera per dies sex. Quibus expressis, id, quod restiterit, additis
Spiritus diluti *partibus quinque* 5
et
Aquae *partibus quinque* 5
inter se commixtis, per triduum iterum macera.

Liquores exprimendo effectos evaporando ad Extractum **siccum** redige.

Sit e flavo fuscum, in Aqua turbide solubile.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 0,05.
Dosis maxima pro die 0,2.

Extractum Cubebarum.

Cubebarum *partes decem* ..... 10.
additis
Aetheris *partibus quindecim* 15
et

Spiritus *partibus quindecim* 15
inter se commixtis, macera per triduum. Quibus expressis, id, quod restiterit,
Aetheris *partibus decem* 10
et
Spiritus *partibus decem* 10
inter se commixtis per triduum iterum macera.

Liquores exprimendo effectos misce et evaporando ad Extractum **tenue** redige.

Sit fuscum, in Aqua non solubile.

Antequam dispenses, conquassa.

Extractum Digitalis.

Herbae Digitalis recentis et florescentis *partes decem* ..... 10.
Aquae *parte una* 1
conspersas, in mortario lapideo contunde, tum exprime. Quod idem,
Aquae *partibus tribus* 3
additis, itera.

Liquores mixtos et ad calorem 80° calefactos cola et ad *partes duas* evapora; quas dilue
Spiritus *partibus duabus* ..... 2.
Mixtionem, interdum conquassatam et in horas quattuor viginti sepositam, cola.

Residuum sic effectum cum
Spiritus diluti *parte una* 1
in vase clauso paullum calefacc et saepius conquassa.

Tum liquorem, postquam resederit, limpide effusum alteri adjice, mixtionem filtra et evaporando ad Extractum **spissum** redige.

Sit fuscum, in Aqua turbide solubile.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 0,2.
Dosis maxima pro die 1,0.

Extractum Ferri pomatum.

Pomorum acidorum *partes quinquaginta* 50
in pultem redactas exprime; quibus admisce
Ferri pulverati *partem unam* ..... 1.

Quam mixturam in balneo aquae caleface, dum evolutionis gasi finis factus erit.

Liquorem, Aqua ad *partes quinquaginta* dilutum, in complures dies sepone, tum filtra et evaporando ad Extractum **spissum** redige.

Sit e viridi nigrum, in Aqua limpide solubile.

Extractum Filicis.

Rhizomatis Filicis *partes quinque* 5,
Aetheris *partibus quindecim* 15
superfusas, macera per triduum.
Liquore defuso, id, quod restiterit,
Aetheris *partibus decem* 10
per triduum iterum macera et exprime.

Liquores mixtos filtra et evaporando ad Extractum **tenue**, omni Aethere liberatum, redige.

Extractum agitatum et Glycerino dilutum, si microscopio subjeceris, ne praebeat granula Amyli.

Sit subviride, in Aqua non solubile.

Extractum Gentianae.

Radicis Gentianae *partem unam* **1,**
Aquae *partibus quinque* **5**
superfusam, macera per horas quadraginta octo.

Quibus expressis, id, quod restiterit,
Aquae *partibus quinque* **5**
per horas duodecim iterum macera.

Liquores exprimendo effectos misce, coque, decantha, evaporando in balneo aquae ad *partes duas* redige. Quod restiterit, in Aqua frigida solve, solutum filtra et evaporando ad Extractum **spissum** redige.

Sit fuscum, in Aqua limpide solubile.

Extractum Graminis.

Rhizomatis Graminis *partes duas* **2,**
Aquae ebullientis *partibus decem* **10**
superfusas, per horas sex digere.

Liquorem colando effectum et ad *partes tres* coctum filtra et evaporando ad Extractum **spissum** redige.

Sit e rubro fuscum, in Aqua limpide solubile.

Extractum Helenii.

Radicis Helenii *partes viginti* 20
Spiritus *partibus quadraginta* 40
et
Aquae *partibus sexaginta* 60
inter se mixtis per horas viginti quattuor macera.

Quibus expressis, id, quod restiterit, mixtione, e
Spiritus *partibus viginti* 20
et
Aquae *partibus triginta* 30
composita, per horas viginti quattuor iterum macera.

Liquores exprimendo effectos misce et evaporando ad Extractum **spissum** redige.

Sit fuscum, in Aqua turbide solubile.

Extractum Hyoscyami.

Herbae Hyoscyami recentis et florescentis *partes viginti* 20,
Aquae *parte una* 1
conspersas, in mortario lapideo contunde et exprime. Quod idem,
Aquae *partibus tribus* 3
additis, itera. Liquores commixtos et ad 80° calefactos cola, colatos evaporando ad *partes duas* redige, quas

Spiritus *partibus duabus* 2
tempera. Mixtionem interdum conquassatam, horis viginti quattuor circumactis, cola. Residuum sic effectum cum
Spiritus diluti *parte una* 1
in vase clauso paullulum caleface et identidem conquassa. Liquorem, postquam subsederit, limpide decanthatum alteri adde. Quod mixtum filtra et evaporando redige ad Extractum **spissum.**

Sit e subviridi fuscum, in Aqua turbide solubile.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 0,2.
Dosis maxima pro die 1,0.

Extractum Opii.

Opii pulverati *partes duas* 2,
additis
Aquae *partibus decem* 10,
macera per horas viginti quattuor. Quibus expressis, id, quod restiterit, additis
Aquae *partibus quinque* 5,
eadem ratione tracta.

Liquores exprimendo effectos misce, filtra, evaporando ad Extractum **siccum** redige.

Sit e rubro fuscum, in Aqua turbide solubile.

Grammatis triginta solutionis frigide paratae et fil-

tratae, quae ex Extracti Opii *grammatis tribus* et Aquae *grammatis quadraginta duobus* constat, admisce Spiritus *grammata decem*, Aetheris *decem*, Liquoris Ammonii caustici *unum*. Vas vehementer conquassatum claude et calore 10 ad 15° in horas duodecim ita sepone, ut saepius conquasses. Quo liquore in filtrum parvum, calore 100° siccatum et trutina examinatum, infuso, crystalla in eo remanentia bis elue mixtura ex Spiritus diluti, Aquae, Aetheris singulorum *grammatis duobus* composita et calore 100° sicca. Quorum pondus ne sit minus quam *grammatum 0,34*.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 0,15.
Dosis maxima pro die 0,5.

Extractum Quassiae.

Ligni Quassiae *partem unam* **1,**
Aquae ebullientis *partibus quinque* **5**
superfusam, per horas sex digere. Id, quod liquore expresso restiterit,
Aquae ebullientis *partibus quinque* **5**
iterum superfusum, per horas tres sepone, tum exprime.

Liquores mixtos evaporando ad Extractum **siccum** redige.

Sit fuscum, in Aqua turbide solubile.

Extractum Rhei.

Radicis Rhei *partes viginti* **20**
Spiritus *partibus quadraginta* **40**
et
Aquae *partibus sexaginta* **60**
inter se mixtis macera per horas viginti quattuor. Quibus expressis, id, quod restiterit,
Spiritus *partibus viginti* **20**
et
Aquae *partibus triginta* **30**
inter se mixtis eadem ratione tracta.

Liquores sic effectos misce et evaporando ad Extractum **siccum** redige.

Sit e subflavo fuscum, in Aqua turbide solubile.

Extractum Rhei compositum.

Extracti Rhei *partes triginta* **30,**
Extracti Aloës *partes decem* **10,**
Resinae Jalapae *partes quinque* **5,**
Saponis medicati *partes viginti* **20**
contritas et commixtas Spiritu diluto humecta et in balneo vaporis calefactas evaporando ad Extractum **siccum** redige.

Sit e subnigro fuscum, in Aqua turbide solubile.

Extractum Sabinae.

Summitatum Sabinae *partes viginti* 20
Spiritus *partibus quadraginta* 40
et
Aquae *partibus sexaginta* 60
inter se mixtis macera per horas viginti quattuor. Quibus expressis, id, quod restiterit,
Spiritus *partibus viginti* 20
et
Aquae *partibus triginta* 30
inter se mixtis iterum eadem ratione tracta.

Liquores sic effectos misce et evaporando ad Extractum **spissum** redige.

Sit e viridi fuscum, in Aqua fere non solubile.

Caute servetur.

Extractum Scillae.

Bulbi Scillae *partes quinque* 5,
additis
Spiritus diluti *partibus viginti* 20,
macera per dies sex.

Quibus expressis, quem effeceris liquorem in complures dies sepositum filtra et evaporando ad Extractum **spissum** redige.

Sit e subflavo fuscum, in Aqua paene limpide solubile.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 0,2.

Dosis maxima pro die 1,0.

Extractum Secalis cornuti.

Secalis cornuti *partes decem* 10,
additis
Aquae *partibus viginti* 20,
macera per horas sex. Quibus expressis, id, quod restiterit, eadem ratione iterum tracta. Liquores sic effectos misce, cola, evaporando ad *partes quinque* redige. Quod extractum concentratum,
Spiritus diluti *partibus quinque* 5
admixtis, per triduum ita sepone, ut saepius conquasses, tum filtra et evaporando ad Extractum **spissum** redige.

Quod extractum Spiritus *pondere aequali* permisce et liquorem, extracto paulisper seposito, superstantem decantha. Residuum, iterum eadem ratione Spiritu tractatum, evaporando ad Extractum **spissum** redige.

Sit e rubro fuscum, in Aqua limpide solubile.

Extractum Strychni.

Seminis Strychni *partes decem* 10
calore 40° non superante
Spiritus diluti *partibus viginti* 20
per horas viginti quattuor saepius conquassando extrahe. Quibus expressis, id, quod restiterit,
Spiritus diluti *partibus quindecim* 15
eadem ratione iterum tracta.

Liquores expressos misce et in complures dies sepositos evaporando ad Extractum **siccum** redige.

Sit fuscum, in Aqua turbide solubile.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 0,05.

Dosis maxima pro die 0,15.

Extractum Taraxaci.

Plantae vere collectae et siccatae *partem unam* **1,**

Aquae *partibus quinque* **5**

superfusam, macera per horas quadraginta octo. Quibus expressis, id, quod restiterit,

Aquae *partibus quinque* **5**

per horas duodecim iterum extrahe.

Liquores exprimendo effectos misce, coque, decantha, evaporando in balneo aquae ad *partes duas* redige. Residuo in Aqua frigida soluto, liquorem, quem filtrando effeceris, evaporando ad Extractum **spissum** redige.

Sit fuscum, in Aqua limpide solubile.

Extractum Trifolii fibrini.

Foliorum Trifolii fibrini *partem unam* **1,**

Aquae ebullientis *partibus quinque* **5**

superfusam, digere per horas sex. Liquore expresso, id, quod restiterit, per horas tres iterum eadem ratione tracta.

Liquores expressos misce, decantha, evaporando ad Extractum **spissum** redige.

Sit e nigro fuscum, in Aqua limpide solubile.

Ferrum carbonicum saccharatum.

Ferri sulfurici *partes quinquaginta* **50,**
in
Aquae ebullientis *partibus ducentis* **200**
solutas, filtra in lagenam amplam, quae
Natrii bicarbonici *partes triginta quinque* **35,**
in
Aquae tepidae *partibus quingentis* **500**
limpide solutas, continet.

Quibus caute permixtis, vacuam lagenae partem Aqua fervida imple et leviter clausam sepone.

Liquorem sedimento superstantem postquam siphone abstraxeris, lagenam Aqua fervida denuo imple. Cum sedimentum subsederit, liquorem iterum abstrahe, id quod iteretur, donec liquor abstractus Baryo nitrico vixdum turbetur.

Sedimentum parte liquida quam maxime liberatum in patinam porcellanicam immitte, quae

Sacchari Lactis pulverati *partes decem* **10**
et
Sacchari pulverati *partes triginta* **30**
continet; mixturae in balneo vaporis ad siccum redactae atque in pulverem contritae adde tantum Sacchari pulverati bene siccati, ut totum pondus sit
Partium centum ..... **100.**

Pulvis e subviridi griseus, saporis dulcis, paullum ferruginantis, in *centum partibus decem* Ferri continens.

In Acido hydrochlorico, Acidum carbonicum copiosum emittens, ad liquorem e subviridi flavum solvitur, quae solutio, Aqua diluta, admixto aut Kalio ferro-cyanato flavo aut Kalio ferri-cyanato rubro, sedimentum caeruleum demittit.

Solutio aquosa (1 = 50), quae ope *partis quam minimae* Acidi hydrochlorici efficitur, Baryo nitrico ne statim turbetur.

Salis *gramma unum* aëre candefiat, dum Saccharum deletum erit. Id, quod restiterit, Acido hydrochlorico fervido prorsus extrahatur, tum liquor filtrando effectus, *aliquot* crystallis Kalii chlorici additis, usque eo fervefiat, quoad Ferrum plane oxydatum et Chlorum remotum erit. Liquor refrigeratus, additis *grammatis duobus* Kalii jodati, in lagena epistomio vitreo clausa per horam unam leni calore seponatur. Cui si Liquorem Amyli volumetricum admiscueris, ne minus quam *centimetri cubici septendecim* Liquoris Natrii thiosulfurici volumetrici consumantur, ut Jodum expulsum adnectatur.

Sal coloris fusci, quod acidis adjectis paullum effervescat, rejiciatur.

Ferrum jodatum.

Ferri pulverati *partibus triginta* **30,**
Aquae *partibus centum* **100**
superfusis,
Jodi *partes octoginta duas* **82**

paullatim ita adde, ut agitare non desinas. Quam solutionem, simulatque ejus color e rubro fuscus in

colorem subviridem abierit, filtra, deinde filtrum Aqua elue.

Secundum hoc praeceptum Ferrum jodatum pro tempore paretur et mixturis liquidis a medico praescriptis addatur; sin massae pilularum admiscendum est, solutionem in patina ferrea quam celerrime evapora.

Ferri jodati *partibus centum* respondent Jodi *octoginta duae.*

Ferrum lacticum.

Crustae e subviridi albae, ex parvis crystallis acuum instar formatis concretae vel pulvis crystallinus odoris specialis, haud ita distincti; in Aquae *partibus 38,2* lente solvuntur ad liquorem e subviridi flavum reactionis subacidae, qui, addito Kalio ferri-cyanato rubro, statim colorem intense caeruleum, Kalio ferrocyanato flavo, dumtaxat clare subcaeruleum ducit. Ferrum lacticum in Aquae ebullientis *partibus duodecim,* vix in Spiritu solvitur; si fervefeceris, odore empyreumatico, qualis est Caramellis, carbonescit, tum deflagrando in Ferrum oxydatum rubrum convertitur.

Solutio aquosa frigide saturata, additis aut Plumbo acetico aut, si Acido hydrochlorico acidulaveris, Aqua hydrosulfurata, tantummodo opalescat. Ne secus se habeat solutio Acido nitrico acidulata, si Baryum nitricum addideris.

Si solutionem, additis *nonnullis guttis* Acidi sulfurici diluti, per sextantem horae coctam et Liquore Natri caustici abunde saturatam leniter concalefeceris cum

nonnullis guttis mixtionis, quae composita est e *parte una* Cupri sulfurici, *partibus tribus* Acidi tartarici, *partibus viginti* Aquae et cui tantum Liquoris Natri caustici addideris, ut fiat solutio limpida, caerulea: sedimentum rubrum ne demittatur.

Ferrum lacticum, cum Acido sulfurico contritum, ne gasa evolvat neve, diutius sepositum, fuscum colorem trahat.

Salis *gramma unum*, Acido nitrico humectatum, si candefeceris, relinquat *grammata* prope *0,27* Ferri oxydati, quae Aquae fervidae nihil ponderabile impertiant.

Ferrum oxydatum saccharatum solubile.

Sacchari pulverati *partibus novem* 9,
in
Aquae *partibus novem* 9
solutis, adjunge primum
Liquoris Ferri sesquichlorati *partes triginta* . 30,
tum agitando paullatim adde solutionem calore paratam ac deinde refrigeratam, quae ex
Natrii carbonici *partibus viginti quattuor* 24,
in
Aquae *partibus quadraginta octo* 48
solutis, constat.

Jam postquam Acidum carbonicum quam maxime aufugerit,

Liquoris Natri caustici *partes viginti quattuor* 24
paullatim affunde. Quam mixtionem sepone, dum limpida facta erit; deinde, postquam admiscueris
Natrii bicarbonici *partes novem* 9,
Aquae ebullientis *partibus sexcentis*..... 600
confestim dilue et, ut sedimentum subsidat, sepone. Quod sedimentum, liquore qui superstat siphonis ope abstracto, cum
Aquae fervidae *partibus quadringentis*..... 400
commisce. Mixtione limpida facta, postquam partem liquidam abstraxeris, sedimentum, adhibitis
Aquae fervidae *partibus quadringentis* 400,
iterum eadem ratione tracta.

Quo facto sedimentum, postquam in linteum humectatum collegeris, Aqua fervida elue, donec liquor delabens, *volumine quintuplo* Aquae dilutus, Argento nitrico admixto, tantummodo opalescat; tum exprime. Jam sedimentum, quod in patina porcellanica cum
Sacchari pulverati *partibus quinquaginta* 50
commiscueris, in balneo vaporis agitans evaporando ad siccitatem et conterendo ad pulverem redige; denique tantum Sacchari pulverati adjice, ut totum pondus sit
Partium centum ..... 100.

Pulvis coloris e rubro fusci, saporis dulcis, leviter

ferruginantis; in *centum partibus tres* Ferri continet; additis Aquae fervidae *partibus viginti*, solutionem plane limpidam, coloris e rubro fusci, reactionis vix alcalinae praebet, quae Kalio ferro-cyanato per se non mutatur, sed, addito Acido hydrochlorico, sedimentum coloris primo sordide viridis, tum pure caerulei demittit.

Solutio aquosa (1 = 20), cum Acido sulfurico diluto in excessu addito fervefacta ac deinde refrigerata, adjecto Argento nitrico, tantummodo opalescat.

Ferri oxydati saccharati solubilis *grammatis duobus* in vase non tecto candefactis, donec Saccharum deletum erit, id, quod restiterit, conteratur et Acido hydrochlorico fervido identidem extrahatur, deinde liquor filtrando effectus, *aliquot* crystallis Kalii chlorici adjectis, fervefiat, donec Ferrum prorsus oxydatum et Chlorum expulsum erit. Jam liquor refrigeratus, *grammate uno* Kalii jodati adjecto, in vase vitreo epistomio vitreo clauso in horam unam leni calore seponatur. Qua circumacta, si paullum Liquoris Amyli volumetrici addideris, *centimetri cubici 10* ad *10,7* Liquoris Natrii thiosulfurici volumetrici requirantur, ut Jodum expulsum adnectatur.

Ferrum pulveratum.

Pulvis subtilis, ponderosus, nitoris metallici levis, coloris grisei, qui magnete attrahitur et in Acidis sulfurico vel hydrochlorico dilutis Hydrogenium emittens solvitur. Quae solutio vel dilutissima, addito Kalio ferri-cyanato, sedimentum intense caeruleum demittit.

Ferri pulverati *grammata duo* in *grammatis triginta* mixtionis, quae ex *partibus aequalibus* Acidi hydrochlorici et Aquae constat, parvo residuo remanente facile solvantur. In quo quod evolvitur Hydrogenium chartam solutione Argenti nitrici (1=2) humectatam ne statim colore flavo aut fusco inficiat. Parte aliqua solutionis acidae cum Aqua hydrosulfurata per strata disjuncta, zona intermedia obscura ne oriatur. Alia pars ejusdem solutionis, postquam Ferrum, Acido nitrico oxydatum, Liquore Ammonii caustici abunde addito praecipitaveris, filtrata liquorem efficiat, qui Liquore Ammonii sulfurati non albo colore turbetur. Quantum Ferri in Acido hydrochlorico non solvitur, in Acido nitrico solutum, si Aquam hydrosulfuratam addideris, ne colorem pullum, sin Liquorem Ammonii caustici abunde adjeceris, ne caeruleum ducat.

Salis *gramma 0,1*, in *grammatis quindecim* Acidi sulfurici diluti aëre excluso solutum, ne minus quam *centimetros cubicos 55,5* Liquoris Kalii permanganici volumetrici ad oxydationem requirat.

Ferrum reductum.

Pulvis griseus, nitoris expers, qui magnete attrahitur et, si fervefeceris, exstinctus in Ferrum oxydulatum oxydatum nigrum transit.

Ferri reducti *grammata duo* in *grammatis triginta* mixtionis calefactae, quae constat e *partibus aequalibus* Acidi hydrochlorici et Aquae, aut plane aut paene plane solvantur, dum gasum emittunt, quod chartae solutione

Argenti nitrici (1 = 2) humectatae statim colorem nec flavum nec fuscum inducat. Id, quod non solutum restiterit, ne sit plus quam *grammatum 0,02*.

Grammata 0,3, quae cum *grammatis quinquaginta* Solutionis Hydrargyri bichlorati, aëre excluso, per horam unam in balneo aquae digesseris, refrigerata ad *centimetros cubicos centum* Aqua supple; quam mixtionem, ut subsidat, sepone. Liquoris limpidi *centimetri cubici viginti quinque* ne minus quam *centimetros cubicos triginta octo* Liquoris Kalii permanganici volumetrici ad oxydationem requirant, id quod in *centum partibus 89,75* Ferri metallici respondet.

Ferrum sesquichloratum.

Liquoris Ferri sesquichlorati *partibus mille* in balneo aquae ad *partes quadringentas octoginta tres* evaporatis, id, quod restiterit, in patina tecta loco frigido siccoque sepone, donec plane rigefactum erit.

Massa flava, crystallina, sicca, aëre humido brevi tempore diffluens, leni calore liquescens, in Aqua, Spiritu, Aethere solubilis.

Ferrum sesquichloratum, in *partibus aequalibus* Aquae solutum, eadem puritate sit, qua Liquor Ferri sesquichlorati.

Ferrum sulfuricum.

Fili ferrei puri *partes duas* superfunde *partibus tribus* Acidi sulfurici et *octo* Aquae inter se mixtis. Quam solutionem adhuc calentem, simulatque emissio gasi

desierit, filtra in *partes quattuor* Spiritus perpetuo turbinati. Farinam crystallinam, in filtrum statim immissam, Spiritus parte aliqua elue, tum exprime et, ut celeriter siccetur, pande in charta bibula, optime quidem ita, ut immediatae solis luci exponas, donec crystalla inter se jam non cohaereant.

Pulvis crystallinus, aëre sicco fatiscens; in *partibus 1,8* Aquae ad liquorem e subviridi caeruleum solvitur. Cujus salis solutio vel dilutissima, addito Kalio ferricyanato, sedimentum praebet intense caeruleum, Baryo nitrico, album, in Acido hydrochlorico non solubile.

Solutio, quam Aqua cocta ac deinde refrigerata recenter paraveris, sit limpida, coloris e subviridi caerulei, nullam fere vim exhibens in chartam exploratoriam caeruleam.

Gramma dimidium, in *grammatis viginti* Acidi sulfurici diluti et *centum quinquaginta* Aquae solutum, *centimetros cubicos quinquaginta sex* ad *septem* Liquoris Kalii permanganici volumetrici ad oxydationem requirat.

Si salis *grammata duo,* in Aqua soluta et cum Acido nitrico oxydata, Liquore Ammonii caustici abunde temperaveris, liquor coloris expers, quem filtrando effeceris, ne Liquore Ammonii sulfurati turbetur neve evaporatus candefactusque residuum ullum relinquat.

Ferrum sulfuricum crudum.

Crystalla vel fragmenta crystallina coloris viridis, plerumque paullum humida, rarius extrinsecus pulvere albido obducta; *partibus duabus* Aquae admixtis, liquo-

rem efficiunt subturbidum, reactionis acidae, saporis constringentis, atramento similis.

Solutio aquosa (1=5) colorem trahat e caeruleo viridem, ne multum sedimenti silacei demittat, neve, addita Aqua hydrosulfurata, colorem trahat nisi sub fuscum.

Ferrum sulfuricum siccum.

Ferri sulfurici *partes centum* **100**
in patina porcellanica, balneo aquae superposita, paullatim concalefacе, donec ponderis *partes triginta quinque* ad *sex* amiserint.

Sit pulvis subtilis, albus, in Aqua lente, sed sine residuo solubilis. Cujus *grammata 0,3 centimetros cubicos 51,5* ad *52,5* Liquoris Kalii permanganici volumetrici consumant, ut Ferrum oxydetur.

Flores Arnicae.

Capitula florum, quos offert **Arnica montana**. Calycis involucrum biseriatum, pilosum includit receptaculum alte convexum, foveolatum, pilosum, cujus diameter ad *sex millimetros* habet. Ex quo surgunt circiter viginti flores ligulati, marginales, decemplinervii et crebri disci multo breviores, omnes coloris e rubro flavi et structura Compositarum. Fructus setosi, quinquangulares sunt ad *millimetros sex* longi, e flavido grisei vel subnigri, pappo, qui constat ex pilis acutis, rigidis, ad *millimetros octo* longis, coronati. Ne adhibeantur

flosculi nisi calyce et receptaculo ademptis. Odoris sunt leviter aromatici, saporis simul subamari.

Flores Chamomillae.

Capitula florum, quos offert **Matricaria Chamomilla.** Omnibus partibus sunt calva; foliola velamentosa scarioso-marginata includunt receptaculum ad *millimetros quinque* altum, parte infima *millimetrum unum et dimidium* latum, conicum, nudum, aliter atque omnium ceterarum plantarum affinium non medullosum, sed cavum. Flores marginales, duodecim ad octo et decem numero, sint coloris albi, disci multo plures coloris flavi; capitula sint odoris vehementer aromatici eademque saporis subamari.

Flores Cinae.

Capitula florum varietatis in Turcestania nascentis, quam praebet **Artemisia maritima.** Constant ex duodecim ad octo et decem foliolis velamentosis calvis, obtuse ovatis, leniter carinatis, coloris subnitide viridis, cum diutius servaveris, subfusci. Supra arcte clausa sunt, ut totum capitulum non sit longius *millimetris quattuor* ejusque diameter maxime *millimetrum unum et dimidium* habeat; primordia flosculorum singularium trium ad quinque interiorum plerumque haud ita distincte discernas. Odoris sunt maxime specialis, saporis insuaviter amari, refrigerantis, aromatici. Ne sint admixta folia, caules petiolique.

Flores Koso.

Flores feminei, quos offert **Hagenia Abyssinica**, post floris tempus collecti vel ejusdem paniculae ramosissimae. Foliola calycis exterioris, quattuor ad quinque numero, sunt ad *unum centimetrum* longa, nervosa, in ima parte setosa, coloris intense rubri, cum diutius servaveris, potius subfusci; interioris calycis foliola, vix *millimetros tres* longa, supra petala etiam minora et duo stylos setosos inter se convergunt. Flores satis arcte adhaerent petiolis infractis, plerumque valde pilosis, *millimetros unum* ad *duo* crassis, qui surgunt ex communi totius florum dispositionis fuso, *centimetrum* circiter *unum* crasso, pilis simplicibus abunde consito. Mercis, ubicunque ex hac constat, fasciculi *decimetros quinque* longi, fissis culmis Cyperi articulati in spiram circumvoluti *grammatum* circiter *centum viginti pondere* inveniri solent. Flores Koso saporis sunt mucilaginosi, tum acriter amari, constringentis. Quos, antequam adhibeas, caulibus munda.

Flores Lavandulae.

Flores, quos offert **Lavandula vera.** Calyx *millimetros quinque* longus, cylindrico-campanulatus, tredecim nervis per longitudinem trajectus, est coloris ferruginei vel in subfuscum abeuntis, pilis stellatis gracilibus floccose adspersus, ut quattuor breviores calycis denticuli vix eminent et quintus dens major potius colore suo ex atro caeruleo conspicuus sit. Tubus floris subfuscus vel subcaeruleus ex calyce eminens in duo labra

ampliatur. Flores Lavandulae sunt odoris suavis, saporis amari. Caules foliaque repurga.

Flores Malvae.

Flores, quos offert **Malva silvestris.** Calyx *millimetros quinque* altus, quinquefidus, pilis stellatis indutus fulcitur tribus foliolis velamentosis lanceolatis, longestriatis, setosis. Petala numero quinque, longiora quam *centimetros duo,* in fronte emarginata infima parte cum staminum tubo concreta sunt. Florum color tenere caeruleus, si acidis humectaveris, in rubrum, sin Liquore Ammonii caustici, in viridem abit.

Flores Rosae.

Petala odorata coloris pallide subrubri, quae offert **Rosa centifolia.**

Flores Sambuci.

Inflorescentiae, quas offert **Sambucus nigra.** Ex quinis ramis cymae unusquisque dividitur in ternos ad quinos ramulos, qui identidem furcillati postremo in petiolos tenues, ad *millimetros sex* longos, flore terminali ornatos exeunt; uniuscujusque stamina, lobi corollae, calycis dentes numero quina. Corollae lobi albidi, principio plane expansi, siccando admodum corrugantur; succedunt eis alternis vicibus calycis dentes multo breviores. Flores sunt odoris exigui ejusdemque specialis, saporis levis; coloris ne sint fusci.

Flores Tiliae.

Cymae, quas offert **Tilia parvifolia** et **Tilia grandifolia.** Petiolus calvus usque ad dimidiam partem cum bractea chartae tenuitatis, distincte diaphana concretus; prioris speciei petiolus gerit flores petiolatos ad tredecim, alterius dumtaxat tres ad quinque eosque aliquanto majores, petalis coloris obscurioris e subflavo fusci ornatos. Stamina multa; sepala, petala, loculamenta fructus numero quina.

Flores, quos praebet **Tilia tomentosa** (T. argentea), sunt majores, praeter quinque folia corollae etiam quinque staminibus petaloïdibus instructi, bractea inflorescentiae in fronte latissima est, saepe latior quam *centimetros duo,* subtus plerumque pilis stellatis vestita. Hos flores cave ne adhibeas.

Flores Verbasci.

Corollae, quas offert **Verbascum phlomoïdes** (neque excluditur Verbascum thapsiforme). Ex floris tubo brevissimo, *millimetros* dumtaxat *duo* amplo surgunt quinque lobi *centimetrum* ad *unum et dimidium* longi, exteriore parte pilis stellatis vestiti, interiore calvi et belle flavi, figura late rotundata. Quorum maximo in ima parte duo stamina calva astant, tria alia paullo breviora, barbata respondent tribus reliquis incisuris corollae. Flores Verbasci sint odoris arguti neve coloris fusci.

Folia Althaeae.

Folia, quae offert **Althaea officinalis**, rotunde elliptica, triloba ad quinqueloba, basi recte praecisa, cordata vel cuneata, margine crenato vel serrato. Maxima folia ad *centimetros octo* lata sunt, foliorum petioli minimum *dimidio* breviores. Folia Althaeae sunt qualitatis solidae, fragilis, utrimque pilorum stellatorum tomento griseo obducta.

Folia Belladonnae.

Folia, quae offert **Atropa Belladonna**; *decimetros* summum *duos* longa, *unum* lata, acute elliptica, in petiolum plus *dimidio* brevius exeuntia, tenuia, calva aut subtus glandulis parcissimis ciliata. Sunt integerrima, in superiore parte ex viridi subfusca, in inferiore potius grisea, in utraque albis punctis distincta. Saporis leviter nauseosi, paullum subamari.

Ad extractum efficiendum adhibe plantae partes super terram eminentes, recentes.

Caute serventur.

Dosis maxima singula 0,2.
Dosis maxima pro die 0,6.

Folia Digitalis.

Folia, quae offert **Digitalis purpurea**, floris aetate de plantis agrestibus colligenda. Folia tenuia, irregulariter crenata, in petiolum attenuata, forma oblonge ovata, *decimetros* summum *tres* longitudine, *centimetros quindecim* latitudine aequantia. Ramosissimum nervorum

reticulum imprimis subtus distincte signatum atque tomento pilorum mollium, haud implicatorum vestitum est. Folia Digitalis, *pondere decemplici* Aquae ebullientis superfusa, extractum subfuscum, laccam musci rubicans, saporis insuaviter amari, haud aromatici, odoris specialis efficiunt, quod, addito Ferro sesquichlorato, obscurum colorem ita trahit, ut primo non turbetur; aliquot horis post sedimentum fuscum oritur. Quod extractum, *pondere triplici* Aquae dilutum, si Solutionem Acidi tannici instillaveris, turbetur; idem non dilutum demittit sedimentum copiosum, quod, Acido tannico in excessu addito, dumtaxat difficulter solvitur.

Caute serventur neque id plus unum annum.

Dosis maxima singula 0,2.
Dosis maxima pro die 1,0.

Folia Farfarae.

Folia basilaria, longe petiolata, palmaria, quae offert **Tussilago Farfara.** A basi cordata usque ad acumen vix prominens saepe sunt *decimetri unius* longitudine neque minore latitudine. Facies superior coloris est intense viridis, inferior tomento denso, albo, facile removendo tecta est, quod ex pilis praelongis, tenuibus, haud ramosis constat.

Folia Jaborandi.

Folia pinnata, quae offert **Pilocarpus pennatifolius,** longe petiolata, plerumque prorsus calva. Constant

ex duobus vel tribus, rarius quattuor jugis sessilibus vel breviter petiolatis foliolorum pinnatorum solide coriaceorum, integerrimorum et uno folio terminali impari, quod adhaeret petiolo ad *centimetros tres* longo. Foliola pinnata sunt lanceolata vel ovata, paullum praeobtusa vel emarginata, ad *centimetros sedecim* longa, *centimetros quattuor* ad *septem* lata. Foliorum tela ejusmodi est, ut plurimas et diaphanas lacunas oleiferas dignoscas. Folia saporis sunt subacris.

Folia Juglandis.

Folia, quae offert **Juglans regia.** Petiolus prope pedalis uno ad quattuor, plerumque tribus paribus foliorum pinnatorum, haud accurate inter se oppositorum et uno folio terminali plerumque majore instructus est. Illa priora *centimetros* summum *quindecim* longa, *centimetros quinque* vel supra lata sunt. Omnia foliola sunt integerrima, ovata, calva, si luci penetranda objeceris, nullis punctis distincta. Saporis acris, vix aromatici. Folia Juglandis ne sint subnigra.

Folia Malvae.

Folia, quae offerunt **Malva vulgaris** et **Malva silvestris.** Prioris folia forma prope orbiculata, ad *centimetros octo* lata, aut magis reniformia, ima parte penitus excisa, longissime petiolata; margo impariter serrato-crenatus haud ita distincte lobatus. Folia plerumque majora alterius speciei ima parte minus penitus excisa, prae-

sertim summa folia caulis lata, quinqueloba vel triloba. Utriusque speciei folia saporis sunt mucilaginosi.

Folia Melissae.

Folia specierum cultarum, quas habet **Melissa officinalis**. Folia late ovata vel cordata, obtuse acuminata, tenuia, calva vel dumtaxat subtus paullulum plumosa, *centimetros* summum *quattuor* longa, *centimetros tres* lata, in extrema utraque parte laminae quinque vel decem subrotundis dentibus crenata.

Folia Menthae crispae.

Folia herbae cultae, cui nomen est **Mentha crispa.** Sessilia vel brevissime petiolata sunt, argute dentata, acuminata, forma cordata vel rotunde ovata, superficie undulata, margine crispe reflexa, calva vel paullum pilosa; saporis fortis, specialis.

Folia Menthae piperitae.

Folia, quae offert **Mentha piperita**, acute ovata, breviter petiolata, ad *centimetros septem* longa, praesertim acumen versus argute serrata, valido nervo medio trajecta, plerumque calva. Saporis fortis, specialis.

Folia Nicotianae.

Folia modicae magnitudinis specierum cultarum, quas habet **Nicotiana Tabacum**, aëre nulla arte ad-

hibita siccata. Sunt fusca, acute lanceolata vel elliptica, integerrima, in petiolos decurrentia. Saporis sunt acris, nauseosi, odoris specialis.

Folia Salviae.

Folia, quae offert **Salvia officinalis** culta et agrestis. Plerumque sunt forma ovata, *decimetrum* prope *unum* longa aut multo minora, interdum infima parte auricula praedita. Reticulum venarum est perramosum, rugosum, minutis maculis implicatum, tomento griseo pilatum. Saporis aromatici ejusdemque subamari.

Folia Sennae.

Foliola pinnata, quae offerunt **Cassia angustifolia** et **Cassia acutifolia.** Quarum specierum primo dicta, Folia **Sennae Indicae** de Tinnevelly, nullis aliis admixtis, constat ex foliolis pinnatis integris, lanceolatis, planis, ad *centimetros sex* longis, ad *centimetros duos* latis. Folia alterius, **Alexandrinae,** fere sunt minora, acute ovata, raro *centimetros tres* longa, plerumque angustiora quam *millimetros tredecim,* minus plana, vulgo commixta et cum aliis particulis Cassiae acutifoliae et cum foliolis rigide coriaceis, recurvatis, gibbis, quae habet Cynanchum Arghel; haec autem etiam ornamento pilorum brevium, rigidorum facile cognoscere licet. Folia Sennae ne subfusca aut subflava sint.

Folia Stramonii.

Folia, quae offert **Datura Stramonium**, floris aetate collecta. Lamina tenuis est acute ovata, impariter sinuate dentata, cujus magni dentium lobi ipsi quoque uno vel duobus paribus dentium instructi sunt. Folia ad *decimetros* summum *duos* longa et ad *decimetrum* fere *unum* lata, cuneate vel paene cordate in petiolum ad *decimetrum unum* longum, *millimetros unum* ad *duo* crassum attenuantur. Saporis insuaviter subamari, subsalsi.

Caute serventur.

Dosis maxima singula 0,2.
Dosis maxima pro die 1,0.

Folia Trifolii fibrini.

Folia tripartita, quae offert **Menyanthes trifoliata**; petiolo ad *decimetrum unum* longo, ad *centimetrum dimidium* crasso adhaerent. Segmenta foliorum solida, rotunde ovata, ad *centimetros octo* longa, *dimidio* angustiora sunt integerrima vel crasse crenata, in acumen latum desinunt. Saporis peramari.

Folia Uvae Ursi.

Folia, quae offert **Arctostaphylos Uva Ursi.** Lamina rigide coriacea, supra subcanaliculata, distincto nervorum reticulo instructa, maxime *centimetros duos* longa, in priore parte ad *millimetros octo* lata, subtus mox in

petiolum non longiorem quam *millimetros* circiter *tres* desinit. Folia, quamvis integerrima, interdum acumine obtuso recurvato emarginatorum speciem praebent. Subtus puncta glandulosa extant nulla. Folia Uvae Ursi saporis acerbi sunt. Quorum *pars una*, cum Aquae *partibus quinquaginta* per aliquot horas seposita, tum filtrata, si addito *granulo uno* Ferri sulfurici conquassaveris, colorem rubrum, deinde violaceum trahit; paullo post sedimentum coloris belli, intense violacei subsidit.

Fructus Anisi.

Fructus, quos offert **Pimpinella Anisum**, paullum supra basim ad *millimetros tres* lati, acumen versus valde attenuati, ad *millimetros quinque* longi coloris sunt opalini, e subviridi grisei, decem nervis rectis, glabris, paullo clarioribus trajecti, setulis conferti. Odoris et saporis valde aromatici.

Fructus Aurantii immaturi.

Fructus, quos offert **Citrus vulgaris**, globosi, immaturi collecti, duri, *quinque* ad *quindecim millimetrorum*. Quorum partem inferiorem e transverso dissecanti sub ipsa superficie crasse granosa, coloris e subgriseo viridescentis vel subfusci, in conspectum veniunt lacunae oleiferae multae et decem vel octo, rarius duodecim loculamenta in columnam mediam convenientia. Fructus et odoris et saporis valde aromatici sunt; accedit quod strata exteriora substantia amara abundant.

Fructus Capsici.

Fructus, quos offert **Capsicum annuum** (nec non Capsicum longum); sunt conici, *centimetros quinque* ad *decem* longi, infima parte *centimetros* ad *quattuor* crassi, tenui pericarpio circumdati, superficie laevi, nitida coloris rubri aut e flavo vel e fusco rubri. Maximam partem cava sunt eorumque tantummodo pars inferior multa semina disciformia coloris flavidi, circiter *quinque millimetrorum* diametro continet. Saporis acriter ustulantis.

Fructus Cardamomi.

Capsulae fructuum, quos offert **Elettaria Cardamomum,** rotunde trigonae, calvae; e quibus eligatur species coloris clari, e flavido grisei, *unum* ad *duos centimetros* longa, circiter *unum centimetrum* crassa. Valvarum ternarum unaquaeque circiter duodenis nervis crassis per longitudinem trajecta est; capsula, rostello *unum* ad *duo millimetros* longo, tubulato coronata, continet circiter viginti semina triplici ordine verticali disposita, fusca, irregulariter angulata, rugosa. His solis proprius est et odor et sapor argutus, mitis, camphoraceus.

Fructus Carvi.

Fructus, quos offert **Carum Carvi,** fusci, plerumque in geminas partes dilapsi. Sunt prope falcati, sursum deorsum attenuati, ad *quinque millimetros* longi, *unum millimetrum* crassi. Quorum ex quattuor valleculis, quae

quinque subtilibus nervis coloris clari marginantur, unaquaeque meatus oleiferos continet singulos, junctura praebet binos. Et odoris et saporis sunt fortissimi, specialis.

Fructus Colocynthidis.

Fructus, quos offert **Citrullus Colocynthis**, decorticati, globosi. Tela fructus alba, marcida, laxa, saporis amarissimi, facile frangitur in tres partes verticales, quibus semina multa continentur.

Caute serventur.

Dosis maxima singula 0,3.
Dosis maxima pro die 1,0.

Fructus Foeniculi.

Fructuum, quos offert **Foeniculum capillaceum**, species coloris e subfusco viridis, *millimetros* summum circiter *octo* longae, *tres* latae. Inter nervos claros, quorum marginales maxime eminent, obscuri meatus oleiferi translucent. Plerumque fructus in geminas partes dilapsus est. Saporis et odoris aromatici, dulcis.

Fructus Juniperi.

Fructus, quos offert **Juniperus communis**, globosi, baccis similes, fere *novem millimetrorum*. Superficies e nigro fusca, nitida aspersa est subcaerulea quadam pruina; cacumen ejus tribus suturis, basis duobus verticillis triplicibus foliolorum fuscorum instructa est.

Sarcocarpium saporis fortiter aromatici, dulcis continet tria semina verticalia, dura, angulata, nonnullis utriculis oleiferis instructa.

Fructus Lauri.

Baccae, quas offert **Laurus nobilis**, oblonge rotundae vel globosae, *millimetrorum* summum *quindecim.* Pericarpium vix *dimidiam partem millimetri* crassum, extrinsecus e fusco nigrum, intus fuscum paene expletur subfusco semine, facile in geminas cotylas dilabente. Fructus Lauri sunt saporis valde aromatici, amari ejusdemque subacerbi.

Fructus Papaveris immaturi.

Fructus, quos offert **Papaver somniferum**, immaturi collecti, siccati. Coloris e griseo subviridis, forma prope globosa, *centimetrorum trium* vel *trium et dimidii*, seminibus ademptis *grammatum trium* ad *quattuor* pondere; disco stigmatis magno, plano, plurilobo coronantur; basis torose in petiolum transit. Capsulas Fructuum Papaveris concisas antequam adhibeas, remove semina. Sunt saporis amari.

Fructus Phellandrii.

Fructus, quos offert **Oenanthe Phellandrium**, ematurati, rarissime in geminas partes dilapsi. Utraque hujus fructus pars, ad *quinque millimetros* longa, *duo*

lata, exhibet in junctura clare flavida binos obscuros canales oleiferos, binis nervis marginalibus ligneis cinctos, in tergo autem intense fusco, convexo ternos nervos debiliores et in quattuor interjacentibus valleculis angustis singulos canales oleiferos obscuriores. Saporis acriter aromatici.

Fructus Rhamni catharticae.

Fructus, quos offert **Rhamnus cathartica**, globosi, *centimetri* circiter *unius*, subtus disco calycis *millimetros* summum *tres* lato, octoradiato fulti. Sarcocarpium nitide nigrum quattuor loculamenta lignosa, monosperma continet. Fructus recentes dant succum ex violaceo viridem reactionis acidae, saporis subdulcis, tum insuaviter amari, qui, admixto liquore aliquo alcalino, colorem e subviridi flavum, acido aliquo, rubrum ducit.

Fructus Vanillae.

Fructus, quos offert **Vanilla planifolia**, non ematurati. Siliquae in longitudinem alte sulcatae, non apertae, *decimetros duo* ad *tres* longae, *centimetrum* summum *unum* crassae, inferiore parte in petiolum reflexum attenuatae. Superficies nitida, e nigro fusca crystallulis albis saepe aspersa. In pulpa valde odorata, nigra, unguinosa semina innumerabilia, summum *quartam partem millimetri* aequantia strata sunt.

Fungus Chirurgorum.

Pannus continens coloris belle fusci, quo mollior et laxior ex tela pilei, quem habet **Polyporus fomentarius,** excidi non potest. Fungus Chirurgorum, quem nihil aliud quam cellulas filiformes continere ope microscopii cognoscitur, *pondus duplex* Aquae celeriter imbibat. Qua expressa et evaporata, ne plus quam paullulum residui relinquatur. Rejiciatur Fungus, qui nomine Fungi igniarii praeparati sive fomitis ita paratur, ut in solutionem Kalii nitrici vel aliorum salum immergatur.

Galbanum.

Gummi-resina, quam offerunt species Ferulae (Peucedani) in Perside septentrionali nascentes, verisimillime **Ferula galbaniflua** et **Ferula rubricaulis.** Constat ex granis aut singularibus aut, id quod saepius accidit, inter se conglutinatis coloris subfusci vel subflavi, saepe paullum subviridis, sed ne secundum recentem quidem fracturam albentis; aut massam praebet satis aequabilem, fuscam, facile mollescentem. Galbanum odoris est valde aromatici, saporis simul amari, haud ita acris. Galbanum Aquae *pondere triplici* superfusum, addita *gutta una* Liquoris Ammonii caustici, colore subcaeruleo fluorescit. Acidum hydrochloricum, quod Galbano per horam unam supersteterit, colorem belle rubrum trahit, qui, Spiritu paullatim addito, si ad 60° concalefeceris, in colorem ad tempus intense violaceum abit.

Ad usum pharmaceuticum gelu rigefactum in pulverem redige et cribri ope quisquiliis munda.

Gallae.

Tumores in turionibus recentibus speciei orientalis, quam habet **Quercus Lusitanica**, ictu Cynipis Gallae tinctoriae effecti. Sunt diametro non majore quam *millimetrorum viginti quinque*. Pars superior superficiei globosae vel pyriformis Gallarum est gibbosa et plicata, inferior, si perforatae sunt, foramine *millimetros tres* amplo instructa est, quod tamen saepius invenitur in levioribus subflavis, quam in gravioribus coloris e griseo subviridis. Tela interna densissima coloris albidi ad fuscum est.

Gelatina Carrageen.

Carrageen *partem unam* **1,**
Aquae *partibus quadraginta* **40**
superfusam, per semihoram in balneo vaporis sepone, tum cola et leviter exprime. Quam colaturam, additis
Sacchari *partibus duabus* **2,**
agitando usque eo evapora, ut, spuma sublata,
Partes decem **10**
remaneant.

Ne paretur, nisi praescriptum erit.

Gelatina Lichenis Islandici.

Lichenis Islandici *partes tres* 3,
Aquae *partibus centum* 100
superfusas, per semihoram in balneo vaporis ita sepone, ut saepius agites, tum cola et leviter exprime. Quam colaturam, additis
Sacchari *partibus tribus* 3,
agitando usque eo evapora, ut, spuma sublata,
Partes decem 10
remaneant.

Ne paretur, nisi praescriptum erit.

Glandulae Lupuli.

Glandulae florum, quos offert **Humulus Lupulus.** Pulvis subcrassus, inaequabilis, primo adhaesivus, coloris e fusco flavi. Praeter pauca fragmenta plantae Lupuli, quae vitari non possunt, microscopium adhibenti ne quid glandulis Lupuli admixtum appareat. Quibus combustis, cineris remaneat minus quam ex *centenis partibus denae.* Glandulis Aethere exhaustis, residuum *tricenas* ex *centenis partibus* ne superet; Aether, leni calore exhalatus, extractum relinquit fuscum, molle, aromatis ejusdem fortissimi, quod est Lupuli.

A luce remotae serventur; neque id diutius uno anno.

Glycerinum.

Liquor limpidus, et coloris et odoris expers, dulcis, neutralis, spissitudinis syrupi, ponderis specifici 1,225 ad 1,235, quavis proportione in Aqua, Spiritu, Spiritu aethereo, neque vero in Aethere, Chloroformio, oleis sebacicis solubilis.

Glycerinum, *partibus quinque* Aquae dilutum, ne Aqua hydrosulfurata, neve Liquore Ammonii sulfurati mutetur, neve Argento nitrico, neve Baryo nitrico, neve Ammonio oxalico, neve Calcio chlorato turbetur.

In patina aperta, donec ebulliat, fervefactum ac deinde incensum deflagret neque residuum ullum relinquat. Solutionem Argenti nitrici ammoniacalem calore aëris intra quadrantem horae ne reducat. Cum *volumine aequali* Liquoris Natri caustici calefactum ne ullum colorem trahat neve Ammonium emittat, neve, cum Acido sulfurico diluto leniter calefactum, odorem insuavem, rancidum exhalet.

Gossypium depuratum.

Pili seminum, quae offerunt **Gossypium herbaceum**, **Gossypium arboreum** aliaeque species.

Sit album, alienis rebus prorsus, adipe paene liberum.

Cineris ex *centum partibus* ne plus *0,6* ad *0,8* relinquat, chartam exploratoriam humectatam ne mutet, in Aqua statim desidat.

Gummi Arabicum.

Praesertim ab **Acacia Senegal** (Acacia Verek) oriundum, quae in regionibus ad Nilum superiorem sitis nascitur. Praeferendae sunt species non multum coloratae, quae facile in assulas limpidas, rimosas frangantur. Gummi, *pondere duplici* Aquae superfusum, ad mucilaginem adhaesivam, odoris expertem, subflavescentem, saporis insipidi lente illud quidem, sed omnino solvatur. Mucilago Gummi Arabici, Plumbo acetico quavis proportione commixta, non turbatur; sed Spiritu praecipitatur et Liquore Ferri sesquichlorati ad gelatinam rigidam inspissatur. In solutione gummosa, etiamsi *quinque milibus partium* ejus non plus *una* Gummi continetur, addito Liquore Plumbi subacetici, sedimentum oritur.

Gutti.

Gummi-resina, quam offert **Garcinia Morella.** Massae ad *septem centimetros* crassae, cylindratae vel reflexae et confusae, coloris e subviridi flavi, quae facile in assulas e flavo rubras, planiconchatas, non pellucidas franguntur. Gutti *pars una,* cum Aquae *duabus* contrita, emulsionem dat belle flavam saporis ustulantis, quae, addita Liquoris Ammonii caustici *parte una,* limpida fit et colorem igneum, deinde fuscum ducit; Liquore Ammonii caustici neutralisato, liquor flocculis flavis secedentibus decoloratur.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 0,3.

Dosis maxima pro die 1,0.

Herba Absinthii.

Folia et summitates florentes, quae offerunt **Artemisia Absinthium** et agrestis et culta. Folia amplexicaulia, triangule subrotunda, longe petiolata sunt tripliciter pinnata; extrema segmenta sunt lingulata vel tripartita ad quinquepartita. Folia petioli media sunt bipinnata, bracteae superiores inflorescentiae valde ramosae, paniculatae sunt non partite lanceolatae. Cujus ex foliorum angulis calathia singula, paene globosa *trium millimetrorum* extrorsus vergunt; multos flores tubulatos flavos, glandulosos continent. Folia et petioli, praesertim Absinthii agrestis, tomento pilorum mollium investita sunt, in quo multae glandulae oleiferae latent. Odoris et saporis valde aromatici, saporis simul peramari.

Herba Cannabis Indicae.

Summitates caulium femineorum, quos offert **Cannabis sativa**, **Bhang** nomine in India septentrionali, fructibus maturescentibus, collectae, vel folia ex ea destricta verrucose hirsuta. Foliola anguste lanceolata, serrato-dentata aut diffracta sunt aut, si cum spica deflorata conglutinata sunt, glomus densum efficiunt. Caules lignosi et fructus ovati, carinati, *millimetrorum* summum *quinque*, pauci adsint. Cannabis Indica coloris sit magis viridis quam fusci, odoris fortiter et specifice aromatici, microscopii ope contemplanti multas glandulas oleiferas in conspectum det. Saporis tenuis.

Herba Cardui benedicti.

Folia et rami florentes, quae offert **Cnicus benedictus** (Carbenia benedicta). Folia amplexicaulia paene pedalia sunt sinuose pinnata, dentibus serratis, subrotundis, aculeatis et petiolo alato instructa. Florum capitula magna singula bracteis late ovatis, acute acuminatis, araneose pilatis circumvoluta et involucro solide aculeato inclusa sunt. Capitula flosculos hermaphroditos flavos, tubulatos continent. Saporis amari.

Herba Centaurii.

Partes super terram eminentes, quas offert **Erythraea Centaurium**, tempore floris collectae. Caules angulosi ad *decimetros duo* aut supra longi et ad *millimetros duo* aut supra crassi sunt umbellate ramosi; corollae quinque lobi rubri, postquam siccati sunt, clauduntur. Folia sessilia, integerrima bina inter se opposita sunt, in basi caulis ad *centimetros quattuor* longa, *centimetros* circiter *duo* lata, in superioribus partibus caulis minora et acutiora; tota planta calva est. Saporis amari.

Herba Cochleariae.

Herba, quam offert **Cochlearia officinalis**, tempore floris collecta, cum foliis longissime petiolatis plantarum florem nondum mittentium. Harum folia sunt *centimetros duo* ad *tres* lata, ovata vel cordata, obtusa; foliola caulis superiora acute ovata, in margine utriusque

partis dentibus singulis vel ternis serrata, basi penitus cordata petiolum amplectuntur. Flores albi structuram familiae Cruciferarum propriam exhibent, siliculae vix *centimetrum dimidium* longae, quae petiolis tenuibus, *centimetros unum* ad *duo* longis adhaerent, in utroque loculamento quaterna semina e rubro fusca continent.

Herba Cochleariae elisa odorem acrem, qualis est Sinapis, exhalat, saporis est acris, salsi; siccando et odoris et saporis expers fit.

Herba Conii.

Folia et summitates florentes, quae offert **Conium maculatum.** Folia amplexicaulia, forma late ovata, longiora quam *decimetros duo,* petiolis cavis circiter ejusdem longitudinis adhaerentia, sunt tripinnata; partitiones ultimae tenues et dentes serrati sunt rotundata et in acumen brevissimum scariosum attenuata, quo etiam segmenta foliorum petiolatorum multo minorum parciusque pinnatorum insigniuntur. Petioli et folia e viridi pallent prorsusque sunt calva; insuaviter Coniinum redolent, praesertim si cum Liquore Natri caustici conteras; saporis sunt nauseose salsi, subamari, acris.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 0,3.
Dosis maxima pro die 2,0.

Herba Hyoscyami.

Folia et petioli florentes, quae offert **Hyoscyamus niger.** Folia basilaria *decimetros* summum *tres* longa,

ad *unum* lata, oblonge ovata, in petiolum attenuata, in utriusque partis margine dentibus grandibus ternis vel senis crenata. Folia petiolata sunt minora, sessilia, summa in utraque folii parte simpliciter dentata. Corolla speciosa, tenuis, e subflavo pallens, nervis violaceis trajecta, est quinqueloba; capsula scariosa bilocularis, operculo circum undique dehiscente patescit. Petioli et nervi lateris inferioris foliorum mollibus pilis copiosius vestiti quam lamina saepe tantum non calva. Herba Hyoscyami siccata et odoris et saporis exigui est. Ad extractum parandum adhibe particulas plantae florescentis, quae super terram eminent.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 0,3.
Dosis maxima pro die 1,5.

Herba Lobeliae.

Lobelia inflata, dum floret, recisa, siccata et plerumque in lateris formam pressa. Folia petiolis carentia, ovata, paullum crenata margine glandulis setulisque instructa sunt, magis etiam petioli. Super flores albidos, bilabiatos bractea acute ovata eminet; semina fusca creberrima vix *millimetri dimidii* continentur duobus loculamentis capsulae ventricosae, tenuibus septis circumdatae, calyce quinquepartito coronatae. Quae semina vel magis quam herba saporis sunt insuavis, acuti, acris.

Herba Meliloti.

Folia et rami florentes, quae offerunt **Melilotus officinalis** et **Melilotus altissimus.** Petioli *centimetrum* circiter *unum* longi bina foliola gerunt inter se opposita et foliolum terminale, petiolatum, saepe paullo longius; omnia tria foliola sunt truncate lanceolata, acute dentata, ad *centimetros quattuor* longa. Flores papilionacei numerosi flavi racemis elongatis ab una tantum parte pendent; fructus parvi, monospermi vel bispermi vel trispermi, rugosi Meliloti officinalis sunt calvi et fusci, Meliloti altissimi autem subnigris pilis instructi et distinctius acuminati. Herba Meliloti fortiter fragrat.

Herba Serpylli.

Rami foliati, florentes, *millimetrum unum* crassi, quos offert **Thymus Serpyllum.** Folia rotunde ovata vel anguste lanceolata, glandulosa, *centimetrum* summum *unum* longa, *millimetros septem* lata in petiolum ad *millimetros tres* longum attenuantur. Verticilli spurii flosculorum labiatorum parvorum, albidorum vel purpureorum creberrimi stant in capitulis terminalibus. Herba Serpylli et odoris et saporis est valde aromatici.

Herba Thymi.

Rami foliati, florentes, quos offert **Thymus vulgaris** agrestis vel cultus. Foliola subcrassa, ad *millimetros novem* longa, summum *tres* lata, sunt sessilia vel breviter petiolata, margine revoluta, paene obtuse acicularia,

magnis glandulis oleiferis praedita, tum magis tum minus pilosa. Super calycem setosum, glandulosum eminet corolla e subrubro pallens, bilabiata. Et odoris et saporis valde aromatici.

Herba Violae tricoloris.

Herba florens cauli cavo, anguloso praedita, quam offert **Viola tricolor** agrestis. Caules usque ad mediam partem foliis latis, longe petiolatis, margine repandis consiti sunt; folia superiora sunt magis serrata, brevius petiolata, stipulae haud exiguae lyrate pinnatifidae, lobo terminali saepe permagno. Petioli florum interdum longiores quam *centimetros quinque*, supra incurvati gerunt corollam impariter quinquefoliatam, calcaratam, paene labiatam coloris e violaceo pallentis vel magis ex albido flavescentis.

Hirudines.

Hirudo Germanica, **Sanguisuga medicinalis**, in tergo plerumque viridi sex taenias longitudinales rubras, nigro maculatas habet, venter coloris clarioris, e flavo viridis nigro maculatus est. Hirudo Hungarica, **Sanguisuga officinalis**, in tergo exhibet sex taenias longitudinales latiores flavas, punctis nigris vel maculis saepe amplioribus nigris interspersas, venter ejus clare viridis, nigro limbo marginatus maculas non praebet. Hirudinum pondus sit *grammatis unius* ad *quinque*.

Hydrargyrum.

Metallum liquidum, fervefaciendo volatile.
Ponderis specifici 13,57.

Hydrargyrum bichloratum.

Frusta alba, diaphana, radiate crystallina; contrita pulverem album praebent, in tubo exploratorio fervefacta liquescunt et aufugiunt. Ponderis specifici 5,3.

In Aquae frigidae *partibus sedecim*, ebullientis *tribus*, Spiritus *tribus*, Aetheris *quattuor* solvuntur. Solutio aquosa reactionis est acidae et, Natrio chlorato addito, neutralis fit; eadem Acido nitrico acidulata, addito Argento nitrico, sedimentum album, Hydrogenio sulfurato abunde addito, nigrum demittit.

Ex eadem si Hydrargyrum Hydrogenio sulfurato praecipitaveris, liquor coloris expers, quem filtrando effeceris, exhalatus ne ullum residuum relinquat. Hydrargyrum sulfuratum sic effectum si cum Liquore Ammonii caustici diluto conquassaveris, liquor, quem filtrando effeceris, acidulatus, Aqua hydrosulfurata adjecta, Arsenicum sulfuratum ne demittat.

Cautissime servetur.

Dosis maxima singula 0,03.
Dosis maxima pro die 0,1.

Hydrargyrum bijodatum.

Solve et

Hydrargyri bichlorati *partes quattuor* **4**

in

Aquae *partibus octoginta* **80**

et

Kalii jodati *partes quinque*..... **5**

in

Aquae *partibus quindecim*..... **15.**

Quibus solutionibus limpidis agitando temperatis, sedimentum, quod ortum erit, filtratum et Aqua elutum calore 100° sicca.

Pulvis coccineus, qui in tubo vitreo fervefactus flavescit, deinde liquescit, tum aufugit; in Aqua vix solvitur, in Spiritus frigidi *partibus centum triginta*, in ebullientis *partibus viginti* solubilis est.

Solutio spirituosa refrigerata colore careat, neque sit reactionis acidae; addito Liquore Ammonii caustici, fusco dumtaxat colore inficiatur neque vero turbetur. Aqua, cum Hydrargyro bijodato conquassata, ne Aqua hydrosulfurata neve Argento nitrico mutetur.

Cautissime, a luce remotum, servetur.

Dosis maxima singula 0,03.

Dosis maxima pro die 0,1.

Hydrargyrum chloratum.

Frusta sublimatione parata, radiate crystallina, ponderis specifici 7,0, pulverem subflavum praebent, quem microscopio centies amplificatum crystallinum esse lucu-

lenter apparet. In Aqua aut Spiritu non solvuntur; in tubo exploratorio fervefacta aufugiunt neque vero antea liquescunt.

Hydrargyrum chloratum, cum Liquore Natri caustici calefactum, Ammonium nullum emittens, nigrescat. Humectatum si in Ferro nitido posueris, ne in eo intra sexagesimam partem horae macula pulla oriatur.

Caute, a luce remotum, servetur.

Hydrargyrum chloratum vapore paratum.

Pulvis albus, vapore Hydrargyri chlorati celeriter refrigerato paratus; si vehementer conteras, subflavescit; quem microscopio centies amplificatum crystallinum esse luculenter apparet; in Aqua aut Spiritu non solvitur, in tubo exploratorio fervefactus aufugit neque vero antea liquescit.

Sal, cum Liquore Natri caustici calefactum, Ammonium non emittens nigrescat. Si idem humectatum in Ferro nitido posueris, in eo intra sexagesimam horae partem macula pulla ne oriatur.

Caute, a luce remotum, servetur.

Hydrargyrum cyanatum.

Crystalla coloris expertia, diaphana, columellaria, in *partibus 12,8* Aquae frigidae, in *tribus* ebullientis, in *14,5* Spiritus solubilia; in Aethere difficulter solvuntur.

Si Hydrargyrum cyanatum cum *partibus aequalibus* Jodi in tubo vitreo leviter calefeceris, sublimatione massa

oritur coloris primo flavi, deinde in rubrum transeuntis, et supra illam altera alba, e crystallis acicularibus composita.

Solutio aquosa neutralis (1=20), Acido nitrico leviter acidulata et *nonnullis guttis* solutionis Argenti nitrici temperata, sedimentum ne efficiat. Sal, in lamina platinea caute fervefactum, plane volatile sit.

Cautissime servetur.

Dosis maxima singula 0,03.
Dosis maxima pro die 0,1.

Hydrargyrum jodatum.

Hydrargyri depurati *partes octo* **8,**
Jodi *partes quinque* ..... **5.**

Jodum, aliquot guttas Spiritus adspergens, cum Hydrargyro paullatim contere, donec globulos Hydrargyri jam nullos dignoscere possis et pulvis colorem aequabilem, e subviridi flavum duxerit. Deinde Spiritu elue et a luce remotum sicca.

Pulvis e subviridi flavus, amorphus, ponderis specifici 7,6, in Aqua perpaullum solubilis, in Spiritu et Aethere insolubilis. Cum Acido sulfurico et Mangano hyperoxydato calefactus copiosos vapores Jodi emittit. Calore volatilis sit; cum Spiritus *partibus viginti* conquassatus liquorem praebeat, qui filtratus Aqua hydrosulfurata vix mutetur.

Cautissime, a luce remotum, servetur.

Dosis maxima singula 0,05.
Dosis maxima pro die 0,2.

Hydrargyrum oxydatum.

Pulvis ruber, crystallinus, ponderis specifici 11,0, subtiliter contritus leviter ex flavido rubescit. In Aqua insolubilis, in Acidis aut hydrochlorico aut nitrico dilutis facile solubilis. In tubo exploratorio fervefactus, Hydrargyro secedente, volatilis.

Cum solutione Acidi oxalici (1 = 12) conquassatus ne salem album praebeat. *Gramma unum*, cum Aquae *centimetris cubicis quinque* et Acidi sulfurici *centimetris cubicis quinque* commixtum et refrigeratum, si cum Solutionis Ferri sulfurici *centimetro cubico uno* per strata disposueris, ubi strata inter se contingunt, zona fusca ne oriatur.

Solutio aquosa (1=100), Acidi nitrici ope parata, limpida sit et, addito Argento nitrico, tantummodo opalescat.

Cautissime, a luce remotum, servetur.

Dosis maxima singula 0,03.
Dosis maxima pro die 0,1.

Hydrargyrum oxydatum via humida paratum.

Hydrargyri bichlorati *partes duas* **2,**
in
Aquae calidae *partibus viginti* **20**
solutas, mixtioni frigidae e
Liquoris Natri caustici *partibus sex* **6**
et

Aquae *partibus decem* **10**
compositae agitando lente ita adde, ut mixtionis calor 30° non excedat.

Sedimentum collectum et Aqua calida elutum calore 30° sicca.

Pulvis flavus, amorphus, ponderis specifici 11,0. In Aqua insolubilis, facile solubilis in Acidis aut hydrochlorico aut nitrico dilutis. In tubo exploratorio fervefactus, Hydrargyro secedente, volatilis.

Cum solutione Acidi oxalici (1 = 12) conquassatus salem oxalicum album efficiat. Solutio aquosa (1=100), Acidi nitrici ope parata, sit limpida et, addito Argento nitrico, tantummodo opalescat.

Cautissime, a luce remotum, servetur.

Dosis maxima singula 0,03.
Dosis maxima pro die 0,1.

Hydrargyrum praecipitatum album.

Hydrargyri bichlorati *partibus duabus* **2,**
in
Aquae calidae *partibus quadraginta* **40**
solutis, refrigeratione facta agitando lente adde
Liquoris Ammonii caustici *partes tres* **3**
aut tot, ut hic paullum praevaleat. Sedimentum in filtrum collectum, liquore delapso,
Aquae *partibus octo et decem* **18**
elue et a luce remotum calore 30° sicca.

Massa alba vel pulvis amorphus, in Aqua insolubilis, facile solubilis in Acido nitrico calefacto. Quem si cum Liquore Natri caustici calefeceris, aufugiente Ammonio, Hydrargyrum oxydatum flavum praecipitatur.

Hydrargyrum praecipitatum album, in tubo exploratorio fervefactum, non liquescit illud quidem, sed, dum deletur, volatile est. Calefactum cum Acido nitrico, *aequalibus partibus* Aquae diluto, solvatur; ne Aquae neve Spiritui quidquam impertiat.

Cautissime, a luce remotum, servetur.

Infusa.

Infusa, ad quae quantum substantiae adhibeatur praescriptum non est, ita para, ut *partes decem* colaturae ex *parte una* substantiae efficias.

Quod attinet ad medicamenta, quorum dosis maxima statuta est, a medico est indicandum, quantum substantiae adhibeatur.

Ad Infusum parandum substantiam, in vase idoneo Aqua fervida superfusam, interdum agitans per duodecimam partem horae objice vaporibus balnei aquae ebullientis, tum liquorem refrigeratum cola.

Infusum Sennae compositum.

Foliorum Sennae concisorum *partes quinque* . **5,**
Aquae fervidae *partibus triginta* **30**
superfusas, per duodecimam partem horae in balneo aquae caleface. Quas refrigeratas cola et in colatura solve

Tartari natronati *partes quinque* 5
et
Mannae communis *partes decem* . . . . . **10.**

Cujus liquoris sepositi, ut sedimentum subsidat, ac deinde colati *partes* sint *quadraginta.*

Jodoformium.

Lamellae vel tabulae parvae, nitidae, hexagonales, tactu pingues, coloris citrini, odoris penetrantis, quodammodo crocei; calore prope 120° liquescunt, cum vaporibus Aquae ebullientis aufugiunt, sunt in Aqua fere non solubiles, solubiles in *partibus quinquaginta* Spiritus frigidi, in circiter *decem* ebullientis, in *partibus 5,2* Aetheris.

Jodoformium fervefactum sit volatile. Cum Aqua conquassatum et filtratum ne Argento nitrico, neve Baryo nitrico mutetur.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 0,2.
Dosis maxima pro die 1,0.

Jodum.

Tabulae vel lamellae coloris e nigro grisei, nitoris metallici, crystallinae, siccae, rhombicae, odoris specialis; fervefactae vapores violaceos exhalant, Solutionem Amyli colore caeruleo inficiunt, in Aquae circiter *quinque milibus partium,* in Spiritus *partibus decem* ita

solvuntur, ut liquorem coloris fusci praebeant. Cum Aethere aut Solutione Kalii jodati solutionem copiosam coloris fusci, cum Chloroformio aut Benzolo coloris violacei efficiunt.

Calore Jodum volatile sit.

Jodi *grammate dimidio* cum Aquae *centimetris cubicis viginti* conquassato, si *partem unam* liquoris filtrando effecti Solutione Natrii sulfurosi, donec decolorata erit, deinde *grano uno* Ferri sulfurici, *gutta una* Liquoris Ferri sesquichlorati, pauxillo Liquoris Natri caustici temperaveris et leniter calefeceris, liquor, Acido hydrochlorico in excessu addito, ne trahat colorem caeruleum. Alia parte solutionis decoloratae Liquore Ammonii caustici abunde temperata ac deinde Argento nitrico praecipitata, liquor, quem Argento jodato filtrando sejuncto effeceris, Acido nitrico abunde saturatus turbationem exhibeat, non sedimentum.

Jodi *grammata 0,2*, cum *grammate dimidio* Kalii jodati in *centimetris cubicis quinquaginta* Aquae soluta et Solutione Amyli temperata, *centimetros cubicos 15,5* ad *15,7* Liquoris Natrii thiosulfurici volumetrici requirant, ut decolorentur.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 0,05.
Dosis maxima pro die 0,2.

Kali causticum fusum.

Frusta vel bacilla cylindrica sicca, alba, ad frangendum difficilia, valde caustica; aëre humescunt, per

fracturam exhibent structuram crystallinam. Solutio aquosa, Acido tartarico in excessu saturata, sedimentum album, crystallinum praebet.

In *partibus duabus* Aquae solutum et *partibus quattuor* Spiritus mixtum, si paulisper seposueris, perpaullum duntaxat sedimenti demittat. Eadem solutio, cum *partibus quindecim* Aquae Calcariae cocta, deinde filtrata liquorem praebeat, qui, Acido nitrico abunde suppetenti infusus, non effervescat. *Volumina duo* solutionis (1 = 20), ope Acidi sulfurici diluti paratae, *volumine uno* Acidi sulfurici et *voluminibus duobus* Solutionis Ferri sulfurici adjectis, ne zonam intermediam coloris fusci praebeant.

Kali caustici fusi *gramma unum,* in Aquae *centimetris cubicis centum* solutum et Acido nitrico abunde saturatum, additis Baryi nitrici et Argenti nitrici singulorum *guttis quaternis,* ne prius turbetur quam trigesima parte horae peracta.

Caute servetur.

Kalium aceticum.

Sal album, paullum nitidum, leniter alcalinum, aëre celeriter dilabens, in *partibus 0,36* Aquae, *1,4* Spiritus solubile.

Solutio aquosa, addito Ferro sesquichlorato, colorem intense rubrum trahit et, Acido tartarico in excessu addito, sedimentum album, crystallinum praebet.

Solutio aquosa (1 = 20) ne Aqua hydrosulfurata, neve Liquore Ammonii sulfurati, neve, si Acidum nitricum dilutum adjeceris, Baryo nitrico mutetur; eadem, Argento nitrico admixto, tantummodo opalescat.

Kalium bicarbonicum.

Crystalla coloris expertia, diaphana, in Aquae *partibus quattuor* lente, in Spiritu non solubilia, reactionis alcalinae, acidis superfusis effervescentia. Solutio aquosa, Acido tartarico in excessu admixto, sedimentum album, crystallinum demittit.

Solutia aquosa (1 = 20), Acido acetico abunde saturata, ne Baryo nitrico aut Aqua hydrosulfurata mutetur; eadem Acido nitrico temperata, adjecto Argento nitrico, tantummodo opalescat.

Si Kalii bicarbonici *grammata quinque, centimetris cubicis quinque* Aquae frigidae superfusis, per sextantem horae seposueris, solutio decanthata et *centimetris cubicis quadraginta quinque* Aquae diluta, adjectis *guttis duabus* Solutionis Hydrargyri bichlorati, ne demittat sedimentum coloris e rubro fusci.

Kalium bichromicum.

Crystalla grandia coloris intense e flavo rubri, in Aquae *partibus decem* solubilia, quae fervefacta ad liquorem e fusco rubrum liquescunt.

Solutio aquosa (1 = 20) reactionis acidae est; eadem cum *volumine aequali* Spiritus fervefacta, Acido hydrochlorico addito, colorem viridem trahit.

Caute servetur.

Kalium bromatum.

Crystalla alba, cubica, nitentia, in aëre persistentia, in *partibus duabus* Aquae, *ducentis* Spiritus solubilia.

Solutio aquosa, si exigua Aqua chlorata temperaveris et cum Aethere vel Chloroformio conquassaveris, horum utrique colorem e rubro flavum inducit; cum Acido tartarico in excessu addito paullum seposita sedimentum album, crystallinum demittit.

Kalium bromatum, ansae fili platinei affixum, flammam jam inde ab initio colore violaceo inficiat. Idem contritum, si in tabula porcellanica alba expanderis, addita *gutta una* Acidi sulfurici diluti, ne statim colorem flavum trahat. Ejusdem aliquot fragmenta, in chartam exploratoriam rubram humectatam imposita, locis, quibus illam contingant, ne confestim colorem e violaceo caeruleum inducant. Salis *gramma unum*, in *centimetris cubicis decem* Aquae solutum, si *aliquot guttis* Liquoris Ferri sesquichlorati temperaveris, Chloroformium adjectum colore violaceo ne inficiat. Solutionis (1 = 20) *grammata viginti*, *guttis quattuor* Solutionis Baryi nitrici temperata, ne turbentur.

Centimetri cubici decem solutionis aquosae, cujus *centimetri cubici centeni grammata terna* Kalii bromati prorsus exsiccati continent, *aliquot guttis* Solutionis Kalii chromici additis, Liquoris Argenti nitrici volumetrici ne plus quam *25,6 centimetros cubicos* consumant, ut constanter rubicentur.

Kalium carbonicum.

Pulvis albus, in *parte aequali* Aquae limpide solubilis, reactionis alcalinae, in *partibus centum* non minus quam *nonaginta quinque* Kalii carbonici continens. So-

lutio aquosa, Acido tartarico in excessu saturata, effervescens sedimentum demittit album, crystallinum.

Sal ansae fili platinei affixum, si flammae admoveris, hanc colore, qui ei proprius est, violaceo, non continenter flavo inficiat.

Solutio aquosa (1=20) ne Liquore Ammonii sulfurati aut Ammonio carbonico mutetur; eadem, Argento nitrico abunde adjecto, sedimentum pure album demittat, quod, leniter calefactum, non trahat colorem obscurum; pauxillo Ferri sulfurici et Liquoris Ferri sesquichlorati temperata, tum leniter calefacta, si Acido hydrochlorico in excessu saturaveris, ne caeruleum ducat colorem. *Volumina duo* solutionis salis, ope Acidi sulfurici diluti paratae, si *volumen unum* Acidi sulfurici et *volumina duo* Solutionis Ferri sulfurici addideris, zonam intermediam coloris fusci ne exhibeant.

Solutio aquosa (1=20), Acido acetico in excessu saturata, ne Aqua hydrosulfurata, neve Baryo nitrico mutetur; eadem, si Acido nitrico diluto temperaveris, addito Argento nitrico, post trigesimam partem horae tantummodo opalescat.

Cujus salis *grammata duo* ut neutralisentur, *centimetris cubicis 27,4* Acidi hydrochlorici volumetrici opus est.

Kalium carbonicum crudum.

Pulvis albus, siccus, granulosus; in *parte aequali* Aquae paene prorsus solvitur, reactionis est alcalinae, in *partibus centum* non minus quam *nonaginta* Kalii carbonici continet. Solutio aquosa (1=20), Acido tarta-

rico in excessu saturata, effervescens sedimentum demittit album, crystallinum.

Cujus salis *grammata duo* ut neutralisentur, *centimetris cubicis viginti sex* Acidi hydrochlorici volumetrici opus est.

Kalium chloricum.

Crystalla coloris expertia, nitida, lamellaria vel tabulaeformia, in aëre persistentia, in Aquae frigidae *partibus sedecim*, in Aquae ebullientis *tribus*, in Spiritus *centum triginta* solubilia. Solutio aquosa, cum Acido hydrochlorico concalefacta, permultum Chlori emittens colorem e viridi flavum trahit; eadem, Acido tartarico in excessu addito, sedimentum album, crystallinum demittit.

Solutio aquosa (1=20) ne Aqua hydrosulfurata, neve Ammonio oxalico, neve Argento nitrico mutetur. Sal, in catino tecto candefactum, residuum relinquat album, in Aqua solubile, quod non sit reactionis alcalinae.

Kalium jodatum.

Crystalla alba, cubica, aëre non humescentia, saporis acriter salsi, deinde amari; in Aquae *partibus 0,75*, in Spiritus *partibus duodecim* solvuntur. Solutio aquosa, pauxillo Aquae chloratae temperata, si cum Chloroformio conquassaveris, huic colorem violaceum inducit; eadem, Acido tartarico in excessu addito, paullum seposita, sedimentum demittit album, crystallinum.

Kalium jodatum ansae fili platinei affixum, si fervefeceris, flammae colorem jam inde ab initio violaceum inducat. Aliquot fragmenta, in chartam exploratoriam rubram humectatam imposita, huic ne statim colorem e violaceo caeruleum inducant. Solutio aquosa (1=20) Aqua hydrosulfurata ne mutetur neve. Acido sulfurico diluto temperata, si Solutionem Amyli affuderis, statim colorem caeruleum trahat. Emissione gasi copiosa ope Zinci et Acidi hydrochlorici effecta, si solutionem Kalii jodati, Solutione Amyli temperatam, affuderis, color caeruleus ne oriatur.

Solutionis aquosae (1=20) *centimetri cubici viginti*, *guttis decem* Solutionis Baryi nitrici post duodecimam partem horae ne turbentur; eadem solutio, cum *granulo uno* Ferri sulfurici et cum *gutta una* Liquoris Ferri sesquichlorati, Liquore Natri caustici addito, leniter calefacta, si Acido hydrochlorico abunde saturaveris, colorem caeruleum ne ducat.

Si Kalii jodati *grammata 0.2*, in Liquoris Ammonii caustici *centimetris cubicis duobus* soluta, cum Liquoris Argenti nitrici volumetrici *centimetris cubicis tredecim* conquassando praecipitaveris, id, quod filtrando effeceris, Acido nitrico in excessu saturatum, intra sextantem horae ne adeo turbetur, ut jam non sit pellucidum.

Caute servetur.

Kalium nitricum.

Crystalla prismatica, coloris expertia, pellucida, in aëre persistentia, vel pulvis crystallinus. Solubilia sunt

in Aquae frigidae *partibus quattuor*, in Aquae ebullientis minus quam *parte dimidia* ponderis sui, fere non solubilia in Spiritu.

Solutio aquosa, Acido tartarico in excessu addito, sedimentum album, crystallinum demittit; eadem, et Acido sulfurico addito et Solutione Ferri sulfurici abunde admixta, colorem e fusco nigrum ducit.

Solutio aquosa (1 = 20) sit neutralis; eadem ne Aqua hydrosulfurata, neve Baryo nitrico, neve Argento nitrico mutetur.

Kalium permanganicum.

Prismata coloris intense violacei, prope nigri, chalybis instar nitentia, quae, in *partibus viginti et dimidio* Aquae soluta, liquorem coloris e caeruleo rubri efficiunt. Solutio aquosa (1 = 1000) nullam vim habet in chartam exploratoriam et salibus Ferri oxydulatis. Acido sulfuroso, Acido oxalico, Spiritu nec non aliis substantiis reducentibus decoloratur. Multae substantiae facile cremabiles, cum sale sicco contritae, fulminando dissiliunt.

Salis *gramma dimidium*, cum Spiritus *grammatis duobus* et Aquae *viginti quinque* ad ebullitionem fervefactum, si filtraveris, liquorem coloris expertem praebeat, qui, Baryo nitrico aut Argento nitrico temperatus, tantummodo opalescat neque, Acido sulfurico diluto et Zinco metallico additis, si Liquorem Amyli volumetricum adjeceris, colorem caeruleum ducat.

Kalium sulfuratum.

Sulfuris *partem unam* 1
et
Kalii carbonici crudi *partes duas* 2

curiose mixtas in vase amplo, tecto, ferreo vel fictili interdum agitans leni igne ferveface, quoad massa spumare desierit ejusque portiuncula, nullo Sulfure secedente, in Aqua solvatur. Quam massam in mortarium ferreum vel in laminam ferream immissam, postquam refrixerit, contunde.

Fragmenta coloris fusci, qualis est hepatis, deinde e flavo viridis; Hydrogenium sulfuratum leniter redolent, aëre humido dilabuntur, in *parte duplici* Aquae, exiguo residuo remanente, ad liquorem alcalinum, opalescentem, coloris e flavo viridis solvuntur.

Solutio aquosa (1 = 20), cum Acido acetico in excessu addito fervefacta, Sulfure secedente, magnam copiam Hydrogenii sulfurati evolvit et filtrata, postquam refrixerit, Acido tartarico in excessu addito, sedimentum album, crystallinum demittit.

Kalium sulfuricum.

Crystalla vel crustae crystallinae, albae, durae, in *partibus decem* Aquae frigidae, in *quattuor* ebullientis solubiles, in Spiritu non solubiles. Solutioni aquosae si Acidum tartaricum in excessu addideris, aliquo tempore peracto, sedimentum album, crystallinum, sin

Baryum nitricum admiscueris, statim sedimentum album, in acidis insolubile oritur.

Solutio aquosa (1 = 20) sit neutralis; eadem ne Liquore Ammonii sulfurati, neve Ammonio oxalico, neve Argento nitrico mutetur. Cujus *volumina duo, volumine uno* Acidi sulfurici temperata, si cum *voluminibus duobus* Solutionis Ferri sulfurici per strata disjunxeris, ne praebeant zonam intermediam coloris fusci. Kalium sulfuricum ansae fili platinei affixum, si fervefeceris, flammam ne inficiat colore continenter flavo.

Kalium tartaricum.

Crystalla coloris expertia, diaphana, in aëre persistentia, quae in *partibus 1,4* Aquae ad liquorem neutralem, in Spiritu parum solvuntur; fervefacta ita carbonescunt, ut vapores Saccharum tostum redolentes emittant, quo facto residuum relinquunt reactionis alcalinae, quod flammam colore violaceo inficit. Cujus salis solutio aquosa concentrata, Acido acetico diluto adjecto, sedimentum dat albidum, crystallinum, quod in hujus Acidi excessu non solvitur, solvitur autem in Acido hydrochlorico et in Liquore Natri caustici.

Solutio aquosa (1 = 20) ne Liquore Ammonii sulfurati aut Ammonio oxalico neve, si Acidum hydrochloricum adjeceris, Aqua hydrosulfurata aut Baryo nitrico mutetur; eadem, si Acido nitrico acidulaveris, Argento nitrico addito, tantummodo opalescat. Kalium tartaricum, cum Liquore Natri caustici calefactum, ne Ammonium emittat.

Kamala.

Indumentum fructuum, quos offert **Mallotus Philippinensis**, deterendo exceptum; pulvis levis, non glutinosus, coloris rubri, griseo mixti, et odoris et saporis expers. Kamala Aquae ebullienti colorem e subflavo pallentem inducit; liquor filtratus Ferro sesquichlorato addito fuscum trahit colorem. Aether, Chloroformium, Spiritus, nec non solutiones aquosae alcalinae e Kamala permultum solvunt resinae coloris intense rubri. Kamala constat e glandulis inaequaliter globosis, quae quadraginta ad sexaginta cellulas continent radiate dispositas, clavatas, non nisi microscopii ope dignoscendas. Glandulis adhaerent pili fasciculati crassi, coloris expertes. Ne foliorum neve caulium fragmenta admixta sint. Kamalae *partes centum* combustae cineris ne relinquant plus quam *partes sex.*

Kreosotum.

Liquor oleaceus neutralis, limpidus, lucem valde refringens, coloris subflavescentis, ipsa solis luce vix in fuscum abeuntis, odoris penetrantis, fumidi, saporis ustulantis, ponderis specifici 1,03 ad 1,08. Plerumque calore 205 ad 220° destillatur, ne frigore 20° quidem rigescit, Aethere, Spiritu, Carbonco sulfurato limpide misceri potest; neque vero liquorem limpidum praebet nisi in *partibus* circiter *centum viginti* Aquae fervidae solutum; quae solutio refrigescens primo turbatur, tum, guttis olei secedentibus, paullatim in limpiditatem re-

dit. Solutio, his guttis liberata, admixto Bromo, sedimentum demittit resinaceum coloris e rubro fusci; perexiguo Ferro sesquichlorato addito, et turbatur et colorem e griseo viridem aut caeruleum, brevi evanescentem trahit, postremo lurida fit, flocculos ejusdem coloris dejiciens.

Kreosotum, *parte aequali* Liquoris Natri caustici addita, mixtionem limpidam praebeat, quae neque colorem obscurum ducat nec, multa Aqua diluta, massas piceas, foetidas expellat. Idem, cum *volumine aequali* Collodii conquassatum, ne in gelatinam vertatur. *Volumina duo* Kreosoti, cum *voluminibus viginti* Liquoris Ammonii caustici conquassata, ne plus quam *volumen dimidium* amittant.

Sit fere insolubile in *voluminibus tribus* mixtionis ex Glycerini *partibus tribus* et Aquae *una* compositae.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 0,1.
Dosis maxima pro die 0,5.

Lactucarium.

Succus lacteus, quem offert **Lactuca virosa**, siccatus. Massae e flavo fuscae, intus albidae, aut fragmentis majoribus sphaericis propemodum similes aut frusta minora irregularia praebentes. Lactucarium difficulter conteri potest neque Aqua temperatum, nisi Gummi addito, emulsionem dat. Aqua ebulliente superfusum mollescit; liquor limpidus, peramarus, quem filtrando effeceris, frigore turbidus fit neque, cum Jodo pul-

verato conquassatus, coloratur. Idem et Liquore Ammonii caustici et Spiritu limpidatur; in illa solutione, affuso Calcio sulfurico, sedimentum copiosum subsidit; solutio spirituosa Ferro sesquichlorato non mutatur. Lactucarium odoris est specifice narcotici; in cinerem redactum residui ne plus quam ex *centum partibus decem* relinquat.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 0,3.
Dosis maxima pro die 1,0.

Laminaria.

Thalli foliati stipites, quos offert **Laminaria Cloustoni.** Cylindri e griseo fusci, *decimetros complures* longitudine, *centimetrum unum* crassitudine aequantes, per longitudinem rugati. Sectio transversa stipitum corneole tenacium Aqua maxime turgescit et intra corticem intense fuscum stratum intermedium haud exiguis cavernis pituitosis trajectum exhibet. Tela interior medullosa ne sit cava.

Lichen Islandicus.

Totus thallus, quem offert **Cetraria Islandica,** foliaceus, maxime *millimetrum dimidium* crassus, palmaris, in lacinias latiores sive angustiores, saepe instar canalium volutas seu crispas, crasse ciliatas divisus. Cujus altera facies coloris est e subfusco viridis, passim maculas rubras praebens, altera pallidior, coloris albidi

seu grisei, maculis albis depressis praedita. Decoctum, e Lichene Aquae *pondere vicies* tanto majore paratum, si refrigeratum erit, gelatinam rigentem saporis amari efficit. Gelatina, Aquae *partibus aequalibus* diluta Spirituque mixta, crassos demittit floccos, qui filtrando separati et, Spiritu exhalato, antequam siccescant, Jodo conspersi colorem caeruleum trahant.

Lignum Guajaci.

Frusta dissecta seu detornata ligni, praesertim duraminis, quod offert **Guajacum officinale.** Aqua ponderosius, neque recte findi, neque facile dissecari potest; flexuose est fibratum, coloris e flavo subfusci, superficie paullum subviridis. Odor aromaticus calefaciendo fit fortior; sapor paullum acris. Spiritus cum Ligno Guajaci conquassatus, evaporatione facta, residuum relinquit e flavo subfuscum, quod, si Ferro sesquichlorato in Spiritus *partibus centum* soluto consperseris, per breve tempus colorem ducit belle caeruleum.

Lignum Quassiae.

Lignum et corticis frusta, quae offerunt **Quassia amara** et **Picraena excelsa,** dissecta. Quarum arborum utriusque lignum est albidum, facile ad findendum; in sectione transversa lentis opticae ope contemplanti circulos praebet annuos radiosque medullares. Sapor est purus et continenter amarus. Lignum Quassiae amarae

est densum; cortex fragilis non crassior quam *millimetros duo*, coloris e subflavo fusci vel grisei, cujus facies interna maculas e caeruleo nigras insertas praebet. Lignum Picraenae excelsae laxius est, coloris perpaullum flavescentis; cortex ad *centimetrum unum* crassus, coloris e fusco nigri facile dissecari potest; fractura est fibrosa. Intrinsecus cortex, in longitudinem subtiliter virgatus, coloris est e fusco subgrisei, maculis e caeruleo nigris plerumque insertis.

Lignum Sassafras.

Lignum radicis, quam offert **Sassafras officinalis**, dissectum sive adhaerente sive ablato cortice e rubro perfusco. Lignum leve, subspongiosum, facile ad findendum, colorem praebet subfuscum usque ad pallide rubentem. Cortex et lignum, utrumque valde aromaticum, saporem admixtum praebent subdulcem. Lignum trunci, aromate fere omnino carens, rejiciendum est.

Linimentum ammoniato-camphoratum.

Olei camphorati *partes tres* **3,**
Olei Papaveris *pars una* **1,**
Liquoris Ammonii caustici *pars una* **1**

conquassentur, donec in linimentum aequabile coïerint.

Sit album, subfluidum; etiamsi diutius sepositum erit, ne in duo strata recedat.

Linimentum ammoniatum.

Olei Olivarum *partes tres* 3,
Olei Papaveris *pars una* 1,
Liquoris Ammonii caustici *pars una* 1
conquassentur, donec in linimentum aequabile coïerint.

Sit album, subfluidum; etiamsi diutius sepositum erit, ne in duo strata recedat.

Linimentum saponato-camphoratum.

Saponis medicati *partes sexaginta* 60
et
Camphorae *partes viginti* 20
leni calore solve in
Spiritus *partibus octingentis decem* 810
et
Glycerini *partibus quinquaginta* 50,
tum solutionem adhuc calentem infundibuli obtecti ope in vas filtra, quod ad perfectum linimentum servandum destinaveris, deinde, admixtis
Olei Thymi *partibus quattuor* 4,
Olei Rosmarini *partibus sex* 6,
Liquoris Ammonii caustici *partibus quinquaginta* 50,
celeriter refrigera.

Sit coloris paene expers, paullum opalescens, manus calore facile liquescens.

Linimentum saponato-camphoratum liquidum.

Spiritus camphorati *partes centum viginti* ... **120,**
Spiritus saponati *partes trecentas quinquaginta* **350,**
Liquoris Ammonii caustici *partes viginti quattuor* **24,**
Olei Thymi *partes duas* **2,**
Olei Rosmarini *partes quattuor*..... **4**
misce et filtra.
Liquor limpidus, subflavus.

Linimentum terebinthinatum.

Kalii carbonici crudi *partibus sex*..... **6,**
cum
Saponis kalini venalis *partibus quinquaginta quattuor*..... **54**
diligenter commixtis, adde
Olei Terebinthinae *partes quadraginta*..... **40.**
Sit linimentum coloris e fusco subviridis.

Liquor Aluminii acetici.

Aluminii sulfurici *partes trecentas*..... **300,**
Acidi acetici diluti *partes trecentas sexaginta* **360,**
Calcii carbonici praecipitati *partes centum triginta*..... **130,**
Aquae *partes mille* ..... **1000.**
Aluminio sulfurico, in Aquae *partibus octingentis* soluto, postquam Acidum aceticum dilutum addideris,

continenter agitans paullatim infunde Calcium carbonicum praecipitatum, cum Aquae *partibus ducentis* contritum. Quam mixturam per horas viginti quattuor calore aëris ita sepone, ut saepius agites. Quo facto, postquam colaveris, sedimentum non elutum exprime et liquorem filtra.

Liquor limpidus, coloris expers, ponderis specifici 1,044 ad 1,046, leviter Acidum aceticum redolens, reactionis acidae, saporis subdulciter constringentis; in balneo aquae fervefactus, *parte quinquagesima* Kalii sulfurici addita, coagulatur et refrigeratus brevi tempore in liquorem limpidum revertitur.

Aqua hydrosulfurata ne coloretur; *volumine duplici* Spiritus mixtus statim tantummodo opalescat. neque vero sedimentum demittat. Liquoris *grammata decem* cum *duplici copia* Aquae et *aliquot guttis* Solutionis Phenolphtaleïni commixta ne minus quam *centimetros cubicos 9,2* ad *9,8* Liquoris Kalii hydrici volumetrici requirant, ut rubicentur; haec eadem copia, Liquore Ammonii caustici praecipitata, *0,25* ad *0,30 grammata* Aluminae praebeat, id quod in *partibus centum* respondet *7,5* ad *8,0* Aluminii subacetici.

Liquor Ammonii acetici.

Liquoris Ammonii caustici *partes decem*..... **10,**
cum
Acidi acetici diluti *partibus duodecim*..... **12**
commixtae et in patina porcellanica fervefactae, paullum temporis continenter ebulliant. Plane refrigeratae

Liquore Ammonii caustici neutralisentur, tum filtratae tanta Aqua diluantur, ut ponderis specifici sint 1,032 ad 1,034.

Liquor limpidus, coloris expers, plane volatilis, neutralis aut acidulus; cujus *centum partibus quindecim* Ammonii acetici continentur.

Ne Aqua hydrosulfurata aut Baryo nitrico mutetur, neve, si Acido nitrico acidulaveris, Argento nitrico turbetur.

Liquor Ammonii anisatus.

Olei Anisi *parti uni* 1,
in
Spiritus *partibus viginti quattuor* 24
solutae, adde
Liquoris Ammonii caustici *partes quinque* . . . . 5.

Sit liquor limpidus, coloris subflavi.

Liquor Ammonii causţici.

Liquor limpidus, coloris expers, volatilis, odoris specialiter spinosi, reactionis peralcalinae, ponderis specifici 0,960. Acido hydrochlorico admoto, nebulas densas, albas exhalat; *centum* ejus *partibus decem* Ammonii continentur.

Volumine quadruplici Aquae Calcariae mixtus ne turbetur, neve, *volumine duplici* Aquae dilutus, Liquore Ammonii sulfurati aut Ammonio oxalico mutetur.

Acido acetico in excessu saturatus, ne Aqua hydrosulfurata aut Baryo nitrico, neve, si Acidum nitricum adjeceris, Argento nitrico turbetur. Liquore Ammonii caustici cum Acido nitrico abunde saturato et evaporando ad siccitatem redacto, residuum coloris expers, majore calore volatile relinquatur.

Ad Liquoris Ammonii caustici *grammata quattuor* saturanda opus est *centimetris cubicis 23,5* Acidi hydrochlorici volumetrici.

Liquor corrosivus.

Cupri sulfurici *partibus sex* **6**
et
Zinci sulfurici *partibus sex* **6,**
in
Aceti *partibus septuaginta* **70**
solutis, admisce
Liquoris Plumbi subacetici *partes duodecim* . . **12.**
Ne paretur nisi ad dispensationem.

Liquor Ferri acetici.

Liquoris Ferri sesquichlorati *partes decem* . . **10,**
Aquae *partibus quinquaginta* **50**
dilutas, ad
Liquoris Ammonii caustici *partes decem* **10,**

Aquae *partibus ducentis* **200**

dilutas, agitando tam caute adde, ut reactio permaneat alcalina. Sedimentum, Aqua prorsus elutum et quam vehementissime expressum, adjectis

Acidi acetici diluti *partibus octo* **8,**

in lagena loco frigido, donec prorsus aut fere nullo residuo remanente solutum erit, ita sepone, ut saepius conquasses. Quo facto ad solutionem tantum Aquae affunde, ut ponderis specifici sit 1,081 ad 1,083.

Liquor coloris e rubro fusci; Acidum aceticum leviter redolet, calefactus sedimentum coloris e rubro fusci demittit; tanta Aqua dilutus, ut ejus color in subflavum abeat, si paullum Acidi hydrochlorici et Kalii sulfocyanati admiscueris, colorem sanguineum trahit.

Liquor Ferri acetici, Aquae *partibus quinque* dilutus, si *partem exiguam* Acidi hydrochlorici addideris, Kalio ferri-cyanato adjecto, colorem caeruleum ne ducat; liquor coloris expers, alcalinus, quem, addito Liquore Ammonii caustici, filtrando effeceris, ne Aqua hydrosulfurata, neve, si Acido nitrico acidulaveris, Baryo nitrico aut Argento nitrico turbetur, neve exhalatus candefactusque ullum residuum relinquat.

Grammata quinque, cum *centimetris cubicis decem* Liquoris Kalii hydrici volumetrici commixta, si filtraveris, liquorem praebeant, qui Liquore Ammonii sulfurati non mutetur.

Liquoris Ferri acetici *grammata duo*, cum *grammate uno* Acidi hydrochlorici, *centimetris cubicis viginti* Aquae, *grammate uno* Kalii jodati per horam unam in lagena

clausa concalefacta, ut Jodum expulsum adnectatur, ne minus quam *centimetros cubicos septendecim* ad *octo et decem* Liquoris Natrii thiosulfurici volumetrici requirant, id quod in *centum partibus 4,8* ad *5,0* Ferri respondet.

Liquor Ferri oxychlorati.

Liquoris Ferri sesquichlorati *partes triginta quinque* **35,**
Aquae *partibus centum sexaginta* **160**
dilutas, in mixtionem, ex
Liquoris Ammonii caustici *partibus triginta quinque* **35**
et
Aquae *partibus trecentis viginti* **320**
compositam, agitando infunde.
Sedimentum elutum et expressum
Acidi hydrochlorici *partibus tribus* **3**
tempera, tum per triduum sepositum leniter calefacc, donec prorsus solutum erit. Quo facto liquorem ita tracta, ut fiat ponderis specifici 1,050.

Liquor coloris e fusco rubri, limpidus, odoris expers, saporis paullum adstringentis, in *partibus centum* prope *tres et dimidiam* Ferri continens.

Liquoris *centimeter cubicus unus, centimetris cubicis novem et decem* Aquae dilutus, *gutta una* Acidi nitrici et *guttis duabus* Liquoris Argenti nitrici volumetrici adjectis, si luci penetrandum objeceris, limpidus sit.

Quotiescunque Liquor Ferri oxydati dialysati praescriptus erit, Liquorem Ferri oxychlorati dispensare licet.

Liquor Ferri sesquichlorati.

Ferrum fabrile, quod forma filorum ferreorum aut clavorum adhibeas, cum *pondere quadruplo* Acidi hydrochlorici in retorta ampla, cavens ne quid amittatur, leniter caleface, quoad Acidum in Ferrum vim exhibere desierit. Solutione adhuc calente in filtrum pensum fusa, id, quod in filtro restiterit, Aqua elutum sicca et pende.

Cui solutioni adde pro *partibus centenis* Ferri soluti

Acidi hydrochlorici *partes ducenas sexagenas*. **260**

et

Acidi nitrici *partes centenas duodenas* . . . . . **112.**

Quam mixtionem in retorta vel lagena balneo aquae superposita ferveface, quoad colore e subrubro fusco infecta erit neque jam gutta ejus, et Aqua diluta et Solutione Kalii ferri-cyanati temperata, colorem caeruleum duxerit. Deinde liquorem in patina porcellanica, quam pependeris, in balneo aquae evapora, donec residui pondus pro *partibus centenis* Ferri, quod in eo continetur, sit *partium quadringenarum octogenarum ternarum;* quod residuum, antequam refrigeratum erit, tanta Aqua dilue, ut sit ponderis *decies* tanto majoris, quam Ferrum in eo solutum.

Liquor limpidus, intense e flavo fuscus, ponderis specifici 1,280 ad 1,282, in *centum partibus decem* Ferri continens; Aqua dilutus, si Argentum nitricum addideris, sedimentum album, sin Kalium ferro-cyanatum, sedimentum intense caeruleum demittit.

Liquor Ferri sesquichlorati, si bacillum vitreum Liquore Ammonii caustici immersum aut chartam Liquore

Amyli volumetrico humectatam admoveris, nebulam ne exhalet, neve chartae colorem caeruleum inducat. Ejusdem *guttae tres*, cum *centimetris cubicis decem* Liquoris Natrii thiosulfurici volumetrici lente ad ebullitionem fervefactae, dum refrigerantur, nonnullos flocculos Ferri oxydati expellant.

Kalium ferri-cyanatum Liquori Ferri sesquichlorati, *partibus decem* Aquae diluto et Acido hydrochlorico acidulato, colorem caeruleum ne inducat. Liquoris *grammatis quinque*, Aquae *partibus viginti* dilutis et cum Liquore Ammonii caustici abunde addito vehementer conquassando commixtis, liquor coloris expers filtrando efficiatur, qui evaporatus et leniter candefactus residuum non praebeat. Cujus liquoris filtrati *voluminibus duobus* cum *volumine uno* Acidi sulfurici commixtis et *voluminibus duobus* Solutionis Ferri sulfurici per strata disjunctis, zona intermedia fusca ne oriatur. Ejusdem pars alia, si Acido acetico abunde saturata erit, ne Baryo nitrico turbetur, neve Kalio ferro-cyanato mutetur.

Liquor Ferri sulfurici oxydati.

Ferri sulfurici *partes octoginta* **80,**
Aquae *partes quadraginta* **40,**
Acidi sulfurici *partes quindecim*..... **15,**
Acidi nitrici *partes octo et decem* **18**

in retortam vel lagenam immissas in balneo aquae ferveface, quoad liquor fuscus et limpidus factus erit neque jam gutta ejus, si Aqua dilueris et Kalio ferri-cyanato temperaveris, colorem caeruleum traxerit.

Quo facto solutionem in patina porcellanica, quam pependeris, adeo evapora, ut *partes centum* remaneant. Quod residuum, in exigua parte Aquae resolutum, iterum evapora. Deinde resolvere et evaporare perge, quoad in liquore fervido Acidum nitricum odore dignoscere jam non possis. Postremo liquoris pondus ad *partes centum sexaginta* redige.

Liquor limpidus, paullum spissescens, coloris e subfusco flavi, ponderis specifici 1,428 ad 1,430. In *partibus centum* continet *decem* Ferri et, *partibus decem* Aquae dilutus, si Baryum nitricum adjeceris, sedimentum copiosum, album, sin Kalium ferro-cyanatum, sedimentum intense caeruleum demittit.

Ejusdem *guttae tres*, cum *centimetris cubicis decem* Liquoris Natrii thiosulfurici volumetrici lentissime ad ebullitionem fervefactae, nonnullos flocculos Ferri oxydati demittant.

Liquor, *partibus decem* Aquae dilutus, si Kalium ferri-cyanatum addideris, colorem caeruleum ne ducat, sin Argentum nitricum, ne albo colore turbetur. Reactiones ceteras, praesertim eam, quae attinet ad Acidum nitricum, eodem modo examina, quo de Liquore Ferri sesquichlorati praescriptum est.

Ne unquam minus quam *grammata quingenta* in promptu sint.

Liquor Kali caustici.

Liquor limpidus, coloris expers vel subflavescens, causticus, ponderis specifici 1,142 ad 1,146, cujus *par-*

tibus centum propemodum *quindecim* Kalii hydrici continentur. *Volumine aequali* Aquae dilutus, Acido tartarico in excessu addito, sedimentum album, crystallinum praebet.

Cum *copia quadruplici* Aquae Calcariae coctus, si filtratus erit, liquorem efficiat, qui in Acidum nitricum infusus non effervescat.

Partibus quindecim Aquae dilutus et Acido acetico in excessu saturatus, si aut Baryum nitricum aut, admixto Acido nitrico, Argentum nitricum adjeceris, tantummodo opalescat. Liquoris *volumina duo* Acido sulfurico diluto neutralisata, si cum *volumine uno* Acidi sulfurici concentrati commiscueris et cum *voluminibus duobus* Solutionis Ferri sulfurici per strata disposueris, zonam intermediam coloris fusci ne praebeant.

Caute servetur.

Liquor Kalii acetici.

Acidi acetici diluti *partibus centum* **100**
paullatim adde
Kalii bicarbonici *partes quadraginta octo* .... **48.**
Quem liquorem, ad ebullitionem fervefactum et Kalio bicarbonico neutralisatum, adeo dilue, ut sit
Partium centum quadraginta septem ..... **147.**

Liquor limpidus, coloris expers, odorem empyreumaticum non exhibens, ponderis specifici 1,176 ad 1,180; *tribus partibus* continet *unam* Kalii acetici.

Partibus aequalibus Aquae dilutus ne Aqua hydrosulfurata, neve Liquore Ammonii sulfurati, neve Baryo

nitrico mutetur; idem Acido nitrico temperatus, Argento nitrico adjecto, tantummodo opalescat.

Liquor Kalii arsenicosi.

Acidi arsenicosi *parti uni* 1
et
Kalii carbonici *parti uni* 1
cum
Aquae *parte una* 1,
donec prorsus solutae erunt, coctis adde
Aquae *partes quadraginta* ..... 40.
Quibus refrigeratis adjice
Spiritus Melissae compositi *partes quindecim*. 15
et tantum Aquae, ut totius mixtionis pondus sit
Partium centum ..... 100.

Liquor limpidus, coloris expers, peralcalinus, qui, Acido hydrochlorico acidulatus, colorem flavum non trahit neque praecipitatur; copiose praecipitatur Aqua hydrosulfurata postea addita. *Centum* Liquoris *partibus* continetur *una* Acidi arsenicosi.

Liquoris *grammata quinque*, *grammatis viginti* Aquae, *grammate uno* Natrii bicarbonici, *paucis guttis* Solutionis Amyli temperata, Solutionis Jodi *centimetros cubicos decem* decolorent; *centimetro cubico 0,1* insuper addito, color caeruleus perstans oriatur.

Cautissime servetur.

Dosis maxima singula 0,5.
Dosis maxima pro die 2,0.

Liquor Kalii carbonici.

Kalii carbonici *partes undecim* **11,**
in
Aquae *partibus viginti* **20**
solutas, filtra, tum, si opus fuerit,
Aquae tantum
adjice, ut liquoris pondus specificum sit 1,330 ad 1,334.

Cujus *tribus partibus* continetur *una* Kalii carbonici. Liquor limpidus, coloris expers.

Liquor Natri caustici.

Liquor limpidus, coloris expers vel subflavescens, causticus, ponderis specifici 1,159 ad 1,163, cujus *centum partibus* propemodum *quindecim* Natrii hydrici continentur. Si ansae fili platinei adhaerens evaporatur, flammae colorem inducit intense flavum.

Cum *copia quadruplici* Aquae Calcariae coctus, si filtratus erit, liquorem efficiat, qui, Acido nitrico abunde admixto, non effervescat.

Acido hydrochlorico in excessu saturatus, Liquore Ammonii caustici abunde addito, ne mutetur. *Copia quintuplici* Aquae dilutus, si Acido nitrico in excessu saturaveris, addito Baryo nitrico aut Argento nitrico, ne opalescat nisi sextante horae interjecto. Cujus Liquoris *volumina duo*, Acido sulfurico diluto in excessu saturata, si, *volumine uno* Acidi sulfurici admixto, cum

voluminibus duobus Solutionis Ferri sulfurici per strata disposueris, ne exhibeant zonam intermediam coloris fusci.

Caute servetur.

Liquor Natrii silicici.

Liquor limpidus, coloris expers vel subflavescens, reactionis alcalinae, ponderis specifici 1,30 ad 1,40, qui, additis acidis, sedimentum gelatinosum demittit. Acido hydrochlorico in excessu saturatus et evaporando ad siccitatem redactus residuum relinquit, quod neque Aqua hydrosulfurata coloratur, nec pauxillo Aquae superfusum, remanente Acido silicico insolubili, si filtraveris, liquorem praebet, cujus gutta una, ansae fili platinei adhaerens evaporata, si fervefacere pergas, flammam colore intense flavo inficit.

Liquor Plumbi subacetici.

Plumbi acetici *partes tres* **3,**
Lithargyri praeparati et ab Acido carbonico liberati *partem unam* . **1,**
Aquae *partes decem* .... **10.**

Plumbum aceticum cum Lithargyro contritum, addita *parte vigesima* Aquae praescriptae, in balneo aquae liqueface, quoad mixtionis color primo subflavus in album aut e subrubro album transierit. Reliqua Aquae parte adjecta, liquorem in vase clauso sepone, donec resederit, denique filtra.

Liquor limpidus, coloris expers, saporis dulcis, constringentis, reactionis alcalinae, ponderis specifici 1,235 ad 1,240, in quo Aqua hydrosulfurata sedimentum nigrum, Liquore Natri caustici sedimentum album, in ejus excessu solubile praecipitatur; Ferro sesquichlorato, secedente Plumbo chlorato, mixtio coloris subrubri efficitur.

Liquor, Acido acetico temperatus, addito Kalio ferrocyanato, sedimentum pure album demittat.

Caute servetur.

Lithargyrum.

Pulvis subflavus vel e subrubro flavus, ponderis specifici 9,25; in Aqua insolubilis, in Acido nitrico diluto solvitur ad liquorem coloris expertem, qui, addita Aqua hydrosulfurata, sedimentum nigrum, Acido sulfurico, sedimentum album, in Liquore Natri caustici solubile demittit.

Candefactum ex *partibus centum* ne plus quam *duas* amittat, id quod in *centum partibus decem* Plumbi subcarbonici respondet. Solutio nitrica, Plumbo Acidi sulfurici ope praecipitato, si filtrata et Liquore Ammonii caustici in excessu saturata erit, colorem ne trahat nisi subcaeruleum neve sedimentum e rubro flavum praebeat nisi perexiguum. Si *grammata quinque* Lithargyri, cum *grammatis quinque* Aquae conquassata, cum *grammatis viginti* Acidi acetici diluti paulisper coxeris et refrigerata filtraveris, id, quod in filtro resti-

terit, bene elutum et exsiccatum ne plus sit quam *grammatum 0,05.*

Caute servetur

Lithium carbonicum.

Pulvis albus, qui fervefactus liquescit et refrigeratus ad massam crystallinam rigescit. In Aquae ebullientis vel frigidae *partibus centum quinquaginta* solutus liquorem alcalinum efficit; in Spiritu non solvitur; in Acido nitrico effervescens solvitur, quae solutio flammam colore coccineo inficit.

Solutio aquosa (1=50), ope Acidi nitrici effecta, ne Baryo nitrico aut Argento nitrico, neve, si Liquore Ammonii caustici in excessu saturaveris, Liquore Ammonii sulfurati aut Ammonio oxalico mutetur.

Gramma 0,1 Lithii carbonici, in *paucis guttis* Acidi sulfurici diluti solutum, additis Spiritus *grammatis quattuor*, liquorem limpidum praebeat.

Lycopodium.

Sporae, quas habet **Lycopodium clavatum**; pulvis maxime mobilis, coloris pallide flavi, odoris atque saporis expers. Cum Aqua seu Chloroformio conquassatus superficiei innatat neque quidquam ipso in liquore relinquit; in Aqua coctus desidit. *Partes centum* Lycopodii combustae cineris minus quam *quinque* relinquant. Lycopodium microscopii ope contemplanti constare apparet ex granis propemodum aequalibus, quae

tres praebent superficies satis planas, unam convexam. Fragmenta foliorum et caulium dumtaxat pauca Lycopodio admixta inveniantur.

Magnesia usta.

Pulvis levis, albus, subtilis, in Aqua fere insolubilis, cum Acido sulfurico diluto liquorem efficiens, qui, si Ammonio chlorato temperaveris et Liquore Ammonii caustici in excessu saturaveris, addito Natrio phosphorico sedimentum album, crystallinum praebet.

Magnesia usta in Acido hydrochlorico diluto ita solvatur, ut colorem non trahat; cum Aqua cocta et filtrata liquorem subalcalinum praebeat, qui exhalatus residuum non relinquat nisi perexiguum.

Grammata 0,20 Magnesiae ustae, cum *centimetris cubicis quinque* Aquae ad ebullitionem fervefacta, si refrigerata in *centimetros cubicos quinque* Acidi sulfurici diluti infuderis, liquorem praebeant, in quo, solutione confecta, bullulae gasi non appareant nisi paucae raraeque.

Solutio aquosa (1=50), Acidi acetici ope effecta, ne Aqua hydrosulfurata, neve, si Ammonium chloratum et abunde Liquorem Ammonii caustici admiscueris, Liquore Ammonii sulfurati mutetur. Eadem solutio, Acido nitrico acidulata, si Baryum nitricum addideris, ne turbetur, sin Argentum nitricum, circumacta horae parte trigesima, tantummodo opalescat.

Grammatis 0,05 Magnesiae ustae cum *centimetro cubico uno* Aquae et *guttis quinque* ad *sex* Acidi hydro-

chlorici ad ebullitionem fervefactis, si *centimetros cubicos septem* Solutionis Ammonii chlorati, *quindecim* Aquae, *tres* Liquoris Ammonii caustici, *quattuor* Solutionis Ammonii oxalici quoque tempore conquassando adjeceris, liquor ne statim turbetur.

Magnesiae ustae ne unquam minus quam *grammata centum quinquaginta* in promptu habeantur.

Magnesium carbonicum.

Massae albae, leves, haud valde cohaerentes, facile friabiles vel pulvis albus, laxus; in Aqua fere non solvitur, quamvis reactionem subalcalinam ei impertiat. In Acido sulfurico diluto, Acidum carbonicum copiosum emittens, ad liquorem solvitur, qui, Liquore Ammonii caustici in excessu saturatus, adjectis Ammonio chlorato et *exigua parte* Natrii phosphorici, sedimentum album, crystallinum demittit.

Magnesium carbonicum in Acido hydrochlorico diluto ita solvatur, ut colorem non trahat, cum Aqua coctum et filtratum liquorem praebeat, qui exhalatus paullum dumtaxat residui relinquat.

Solutio aquosa (1 = 50), ope Acidi acetici effecta, ne Aqua hydrosulfurata, neve, si Ammonium chloratum et abunde Liquorem Ammonii caustici admiscueris, Liquore Ammonii sulfurati mutetur; eadem, additis Baryo nitrico aut, si Acidum nitricum adjeceris, Argento nitrico, trigesima parte horae circumacta, tantummodo opalescat.

Magnesii carbonici *grammatis 0,2* cum Aquae *centimetris cubicis duobus* et Acidi hydrochlorici *guttis octo* ad *novem* ad ebullitionem fervefactis, si *centimetros cubicos decem* Solutionis Ammonii chlorati, *viginti* Aquae, *quinque* Liquoris Ammonii caustici, *sex* Solutionis Ammonii oxalici quoque tempore conquassando addideris, liquor ne statim turbetur.

Magnesium citricum effervescens.

Magnesii carbonici *partes viginti quinque* **25**
et
Acidi citrici *partes septuaginta quinque* **75,**
cum
Aquae *partibus decem* **10**
mixtas, calore 30° sicca. Id, quod restiterit, in pulverem subtilem redactum exacte commisce cum
Natrii bicarbonici *partibus octoginta quinque* .. **85,**
Acidi citrici *partibus quadraginta* **40,**
Sacchari *partibus viginti* ..... **20.**

Tum mixtionem, Spiritum guttatim instillans et pistilli ope leniter terens, in massam grosse granulosam, grumosam redige, quae leni calore siccata cribrando in pulverem aequabilem, grosse granulosum convertitur.

Sit pulvis albus, in Aqua, Acidum carbonicum copiosum emittens, ad liquorem saporis suaviter aciduli lente solvatur.

Magnesium sulfuricum.

Crystalla prismatica parva, coloris expertia, aëre vix fatiscentia, saporis amari, salsi, *in partibus 0,8* Aquae frigidae, in *0,15* Aquae ebullientis solubilia, in Spiritu insolubilia.

Solutio aquosa, addito Natrio phosphorico, si adsunt Ammonium chloratum et Liquor Ammonii caustici, sedimentum album, crystallinum, addito Baryo nitrico, sedimentum album, in acidis insolubile demittit.

Solutio aquosa (1 = 20) sit neutralis; ne Aqua hydrosulfurata, si Acidum aceticum antea adjeceris, neve Liquore Ammonii sulfurati, si Ammonium chloratum in excessu et Liquorem Ammonii caustici adjeceris, mutetur; eadem, si Argentum nitricum admiscueris, interjecta parte duodecima horae, tantummodo opalescat. Sal flammae colorem flavum perstantem ne inducat.

Magnesium sulfuricum siccum.

Magnesium sulfuricum in patina porcellanica balneo aquae superposita interdum agitando ferveface, donec *centenae partes tricenas quinas* ad *septenas* pondere amiserint, tum cribra.

Pulvis albus, subtilis, laxus.

Quotiescunque Magnesium sulfuricum ad mixtiones pulveratas praescriptum erit, Magnesium sulfuricum siccum dispensa.

Manganum sulfuricum.

Crystalla coloris rosei, rhombica, fatiscentia, in *partibus 0,8* Aquae solubilia, in Spiritu non solubilia. Solutio aquosa neutralis est et, addito Baryo nitrico, sedimentum album, in Acido hydrochlorico insolubile, addito Liquore Ammonii sulfurati, sedimentum e subrubro album demittit. Cujus salis *granulo uno* cum Liquore Natri caustici siccato et ad liquescendum fervefacto, residuum restet perviride, in Aqua eodem colore solubile.

Solutio aquosa (1=20), cum *aliquot guttis* Acidi hydrochlorici et Aquae chloratae fervefacta, ne, addito Kalio sulfo-cyanato, colorem rubrum trahat, neve Aqua hydrosulfurata mutetur. Si Manganum Ammonio carbonico praecipitaveris, id, quod filtratum erit, evaporatum atque fervefactum, ne ullum residuum relinquat. Solutio, quam ex *partibus aequalibus* salis et Natrii acetici in *copia decemplici* Aquae et in *aliquot guttis* Acidi acetici solutis effeceris, Aqua hydrosulfurata ne turbetur.

Cujus salis *gramma unum*, leniter candefactum, ne plus quam *grammata 0,322* ad *0,335* pondere amittat.

Manna.

Succus e trunco, quem offert **Fraxinus Ornus**, insecto effectus et ultro siccatus. **Manna cannulata** frusta crystallina praebet rotundate trigona vel plana, canaliculata, coloris subflavescentis, intus albi, saporis dulcis. **Manna communis** e granulis constat seu frustis qualitatis jam descriptae, quae massa molli, subfusca, sa-

poris non minus dulcis ejusdemque subacris inter se conglutinata sunt. Mannae *partes quinque*, cum Spiritus *partibus centum* coctae, remanente residuo solido, non viscido, *partem* circiter *unam* efficiente, solutionem praebent, quae laccam musci non mutat et crystalla pura Manniti permulta brevi tempore demittere incipit. Mannae *partes centum* in balneo aquae exsiccatae ne plus amittant quam *partes decem*.

Mel depuratum.

Sit limpidum, suavis odoris mellis, cujus stratum *millimetros viginti* crassum coloris flavi vel paullulum furvescentis esse apparet, ponderis specifici 1,30.

Mel, Liquoris Ammonii caustici *partibus aequalibus* mixtum, colorem ne mutet; *copia duplici* Spiritus temperatum ne turbetur. *Partibus quattuor* Aquae dilutum liquorem limpidum, neutralem efficiat, qui, addito Argento nitrico aut Baryo nitrico, tantummodo opalescat.

Mel rosatum.

Florum Rosae *partem unam* **1**

commisce cum

Aquae *partibus sex* **6**

et per horas viginti quattuor macera.

Liquorem exprimendo effectum evaporando redige ad spissitudinem syrupi et *copia quintupla* Spiritus temperatum filtra; tum, admixtis

Mellis depurati *partibus decem* ..... 10.
evapora, donec remaneant
Partes decem ..... 10.
Sit limpidum, subfuscum.

Minium.

Pulvis ruber, in Aqua non solubilis, ponderis specifici 9,0. Acido hydrochlorico admixto, Chlorum emittens Plumbum chloratum album, crystallinum efficit.

Si *grammata quinque* Minii in mixtione, e *grammatis denis* Acidi nitrici et Aquae composita, ope *grammatis unius* Sacchari solveris, ne residuum restet, nisi exiguum, *grammata 0,05* non superans.

Caute servetur.

Mixtura oleoso-balsamica.

Olei Lavandulae *partem unam* 1,
Olei Caryophyllorum *partem unam* 1,
Olei Cinnamomi *partem unam* 1,
Olei Thymi *partem unam* 1,
Olei Citri *partem unam* 1,
Olei Macidis *partem unam* 1,
Olei Aurantii Florum *partem unam* 1,
Balsami Peruviani *partes tres* 3,
Spiritus *partes ducentas quadraginta* 240
mixtas per aliquot dies loco frigido saepius conquassans sepone, tum filtra.

Liquor limpidus, e subfusco flavus.

Mixtura sulfurica acida.

Acidi sulfurici *partes quinque* 5
misce cum
Spiritus *partibus quindecim* 15
tam caute movens, ut calor 50° non superet.

Liquor limpidus, coloris expers, ponderis specifici 0,993 ad 0,997.

Morphinum hydrochloricum.

Acus crystallinae albae, nitoris sericei, saepe fasciculorum instar conjunctae vel frusta alba, cubica, microcrystallina, chartam exploratoriam non mutantia, saporis peramari. In Aquae *partibus viginti quinque* aut in Spiritus *quinquaginta* solvuntur; caute fervefacta liquescunt, calore 100° Aquae *14,5* ad *15,0* ex *centum partibus* amittunt.

Solutio salis aquosa Kalio carbonico leviter turbatur; Liquor Ammonii caustici sedimentum efficit, quod in ejus excessu, etiam in Aethere non conspicue solvitur, facile autem in Liquore Natri caustici nec minus in Aqua Calcariae. Morphinum hydrochloricum, si cum Acido sulfurico contriveris et Bismuto subnitrico consperseris, colorem perfuscum trahit; Acido nitrico humefactum rubescit.

Quotiescunque Morphinum aceticum praescriptum erit, Morphinum hydrochloricum (quoniam est stabilius) dispensa.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 0,03.
Dosis maxima pro die 0,1.

Morphinum sulfuricum.

Crystalla coloris expertia, acubus similia, neutralia, in Aquae *partibus 14,5* solubilia; calore 100° ex *centum partibus* propemodum *duodecim* Aquae amittunt. Sit eadem puritate, qua Morphinum hydrochloricum esse oportet.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 0,03.

Dosis maxima pro die 0,1.

Moschus.

Massa grumosa seu paullulum mollis, odoris specifici, quam in folliculis **Moschus moschiferus** inclusam habet. Ammonii odorem ne praebeat. Ope Olei Terebinthinae sub microscopio in stratum tenue expansus Moschus satis aequaliter separatur glebarum instar in assulas glebulasque amorphas, diaphanas, fuscas; sit liber a substantiis alienis. Moschus exsiccetur supra Acidum sulfuricum, donec ponderis jam nihil amittat. *Centum partes* combustae ne plus cineris relinquant quam *octo*.

Mucilago Gummi Arabici.

Gummi Arabici *partem unam* **1**

Aqua ablutam solve in

Aquae *partibus duabus* **2,**

tum cola.

Sit limpida.

Mucilago Salep.

Tuberum Salep pulveratorum *partem unam* . **1**
immitte in lagenam, quae continet
Aquae *partes decem* . . . . . **10.**
Pulvere conquassando bene disperso, adde
Aquae ebullientis *partes nonaginta* . . . . . **90.**

Quam mixtionem in eadem lagena usque ad refrigerationem conquassa.

Ne paretur nisi ad dispensationem.

Myrrha.

Gummi-resina, quam praebet **Balsamea Myrrha** (Balsamodendron Myrrha). Grana vel massae foraminosae coloris subflavi, subrubri vel fusci, intus saepe passim albidi; parva frustula sunt diaphana. Myrrha odoris est aromatici, saporis simul amari ejusdemque continenter acris. Eadem Spiritu exhausta, qua re ex *centum partibus* circiter *triginta* solvuntur, et evaporata, si residuum resinaceum Aethere denuo temperaveris, haec solutio, aliquo vapore Bromi addito, colorem rubrum aut violaceum ducit.

Natrium aceticum.

Crystalla coloris expertia, pellucida, aëre calido fatiscentia. Cum *partibus 1,4* Aquae solutionem alcalinam praebent, in Spiritus frigidi *partibus viginti tribus*, in ebullientis *duabus* solubilia sunt.

Crystalla fervefacta primo, aqua inclusa aufugiente, liquescunt, tum redurescunt, ardore insuper aucto iterum liquescunt; candefacta, dum odorem Acetoni emittunt, remanente residuo, quod flammam colore flavo inficit, delentur.

Solutio aquosa (1 = 20) ne Aqua hydrosulfurata, neve Liquore Ammonii sulfurati, neve Baryo nitrico, neve Ammonio oxalico, neve, si Acidum nitricum addideris, Argento nitrico mutetur.

Natrium benzoïcum.

Pulvis albus, anhydrus, amorphus, in *partibus 1,5* Aquae, minus in Spiritu solubilis; fervefactus liquescit, remanente residuo carbonito, quod acidis admixtis effervescit et flammam colore flavo inficit. Solutio aquosa (1=10) reactionis subacidae, adjecto Acido hydrochlorico, pultem efficit e crystallis albis compositam, quae in Aethere solubilia sunt.

Solutio aquosa (1=20) ne Baryo nitrico turbetur, neve, si crystalla Acido nitrico expulsa in Spiritu solveris, Argento nitrico praecipitetur.

Natrium bicarbonicum.

Crustae crystallinae vel massae crystallinae inter se conjunctae, albae, in aëre persistentes, saporis subalcalini, in *partibus 13,8* Aquae solubiles, non solubiles in Spiritu. Calefactae Acidum carbonicum emittunt et residuum peralcalinum, quod acidis adjectis effer-

vescit, relinquunt; ansae fili platinei adhaerentes, si candefeceris, flammam colore flavo inficiunt, quae flamma per vitrum caeruleum contemplanti rubra non videatur nisi per breve tempus.

Natrium bicarbonicum, cum Liquore Natri caustici calefactum, ne Ammonium emittat.

Solutio aquosa (1=20), Acidi nitrici ope parata, si Argentum nitricum addideris, ne opalescat, nisi sextante horae circumacto. Solutio aquosa (1=50), Acido acetico in excessu saturata, Aqua hydrosulfurata ne mutetur, neve Baryo nitrico admixto prius opalescat, quam trigesima horae parte interjecta.

Si *grammata duo* Natrii bicarbonici, *centimetris cubicis quindecim* Aquae superfusa, per sextantem horae seposita erunt, solutio decanthata, additis *grammatis quinque* Solutionis Hydrargyri bichlorati, intra duodecimam horae partem tantummodo turbationem albam praebeat, sed ne sedimentum e rubro fuscum demittat.

Natrium bromatum.

Pulvis albus, crystallinus, in aëre sicco persistens, in Aquae *partibus 1,8*, in Spiritus *quinque* solubilis Ansae fili platinei affixus, si fervefeceris, flammam praebet flavam, quae per vitrum caeruleum contemplanti non constanter rubra videatur. Solutio aquosa. cum exigua Aqua chlorata mixta et cum Aethere conquassata, hunc quidem colore e rubro flavo inficit.

Natrium bromatum contritum et in tabulam porcellanicam albam dispersum ne statim colorem flavum

trahat, si *guttam unam* Acidi sulfurici diluti admoveris. Natrium bromatum, quod in charta exploratoria rubra humectata posueris, locos contactos ne statim colore e violaceo caeruleo inficiat. Solutionis aquosae (1=20) *grammata viginti*, cum *aliquot guttis* Liquoris Ferri sesquichlorati commixta et cum Chloroformio conquassata, huic quidem colorem violaceum ne inducant. Ejusdem solutionis *grammata viginti*, *quattuor guttis* Solutionis Baryi nitrici temperata, ne turbentur.

Centimetri cubici decem solutionis, e *grammatis tribus* Natrii bromati bene siccati et *partibus centum* Aquae compositae, si *nonnullas guttas* Solutionis Kalii chromici adjeceris, ne plus quam *centimetros cubicos 29,6* Liquoris Argenti nitrici volumetrici consumant, ut constanter rubefiant.

Natrium carbonicum.

Crystalla coloris expertia, diaphana, aëre fatiscentia, saporis alcalini; cum *partibus 1,8* Aquae frigidae, *0,3* ebullientis solutionem alcalinam praebent; in Spiritu non sunt solubilia. Acidis additis effervescunt; ansae fili platinei affixa, si candefeceris, flammam colore flavo inficiunt; in *centum partibus triginta septem* Natrii carbonici anhydri continent.

Solutio aquosa (1 = 50) ne Liquore Ammonii sulfurati, neve, Acido acetico in excessu saturata, Aqua hydrosulfurata, neve Baryo nitrico mutetur; Argento nitrico adjecto, si Acidum nitricum admiscueris, sextante horae circumacto, tantummodo opalescat.

Salis *grammata duo*, soluta in *centimetris cubicis decem* Acidi sulfurici diluti, si, Solutione Jodi et Zinco admixtis, eandem rationem, quam in Acido hydrochlorico examinando, secutus eris, chartam solutione Argenti nitrici concentrata (1 = 2) imbutam ne mutent.

Natrium carbonicum crudum.

Crystalla grandia, coloris expertia vel massae crystallinae, reactionis alcalinae, aëre fatiscentes. In Aquae *partibus tribus* solvuntur, in acidis ita ut effervescant; *in partibus centum* ne minus quam *partes triginta duas* Natrii carbonici anhydri continent.

Natrium carbonicum siccum.

Natrium carbonicum grosse contritum calori 25° non excedenti ita expone, ut a pulvere tectum sit. Cum plane dilapsum erit, calore 40 ad 50° sicca, quoad *pondus dimidium* amiserit, denique per cribrum transmitte.

Pulvis albus, subtilis, laxus.

Quotiescunque Natrium carbonicum ad mixtiones pulveratas praescriptum erit, Natrium carbonicum siccum dispensandum est.

Natrium chloratum.

Crystalla alba, cubica vel pulvis crystallinus saporis salsi, in *partibus 2,7* Aquae solubilis. Ansae fili platinei affixum, Natrium chloratum flammam colore flavo

inficit; solutio aquosa, Argento nitrico addito, sedimentum album, caseosum, in Liquore Ammonii caustici solubile demittit.

Solutio aquosa (1 = 20) sit neutralis; ne Aqua hydrosulfurata, neve Liquore Ammonii sulfurati, neve Baryo nitrico neve, si Liquorem Ammonii caustici addideris, Ammonio oxalico aut Natrio phosphorico mutetur.

Natrium jodatum.

Pulvis siccus, albus, crystallinus, aëre humescens, in *partibus 0,9* Aquae, in *partibus tribus* Spiritus solubilis. Ansae fili platinei affixus flammam flavam praebet, quae per vitrum caeruleum contemplanti non constanter rubra videatur. Solutio aquosa, cum Aqua chlorata commixta et cum Chloroformio conquassata, huic colorem violaceum inducit.

Solutio aquosa (1=20) Aqua hydrosulfurata ne mutetur, neve, Acido sulfurico diluto temperata, Chloroformium, quod addideris, colore violaceo inficiat.

Solutio eadem, si Solutione Amyli temperatam mixtioni, e Zinco et Acido hydrochlorico compositae, dum gasa fortiter emittit, affuderis, colorem caeruleum ne trahat, neve ejusdem *centimetri cubici viginti guttis decem* Solutionis Baryi nitrici turbentur nisi dodrante horae circumacto. Num Cyanum adsit, eodem modo examina, qui de Kalio jodato praescriptus est.

Grammatis 0,2 Natrii jodati bene siccati in *centimetris cubicis duobus* Liquoris Ammonii caustici solutis et conquassando cum *centimetris cubicis quattuordecim* Liquoris

Argenti nitrici volumetrici commixtis, id, quod filtrando effeceris, *centimetris cubicis duobus* Acidi nitrici in excessu saturatum, intra sextantem horae ne ita turbetur, ut opacum fiat.

Caute servetur.

Natrium nitricum.

Crystalla coloris expertia, pellucida, rhomboëdrica, in aëre sicco persistentia, saporis salse refrigerantis, subamari, in *partibus 1,5* Aquae, in *quinquaginta* Spiritus solubilia. Natrium nitricum, ansae fili platinei affixum, si candefeceris, flammam colore flavo inficit, quae flamma per vitrum caeruleum contemplanti ne rubra videatur, nisi per breve tempus. Solutio aquosa, quam Acido sulfurico et Solutione Ferri sulfurici abunde admixta temperaveris, colorem e fusco nigrum trahit.

Solutio (1 = 20) ne Aqua hydrosulfurata, neve Ammonio oxalico, neve Argento nitrico mutetur. Ejusdem *centimetri cubici viginti*, cum *guttis sex* Solutionis Baryi nitrici commixti, intra trigesimam horae partem ne turbentur. Ejusdem solutionis *centimetri cubici quinque exigua parte* Stanni raspati et *guttis decem* Acidi nitrici temperati, si per breve tempus sepositi erunt, Chloroformium adjectum colore violaceo ne inficiant.

Natrium phosphoricum.

Crystalla coloris expertia, diaphana, aëre sicco fatiscentia, saporis subsalsi, reactionis alcalinae; calore 40° liquescunt; in *partibus 5,8* Aquae solubilia sunt.

Natrium phosphoricum, ansae fili platinei affixum et fervefactum, flammam colore flavo inficit, quae flamma per vitrum caeruleum contemplanti ne rubra videatur, nisi per breve tempus. Solutio aquosa, Argento nitrico admixto, sedimentum flavum, et in Acido nitrico et in Liquore Ammonii caustici solubile, demittit.

Solutio aquosa (1 = 20), si Acido hydrochlorico acidulaveris, Aqua hydrosulfurata ne mutetur; sin Acido nitrico acidulaveris, addito Baryo nitrico aut Argento nitrico, post vigesimam partem horae tantummodo opalescat; sin Liquore Ammonii caustici in excessu saturaveris, ne Liquore Ammonii sulfurati, neve Ammonio oxalico mutetur.

Salis *grammata duo*, soluta in *centimetris cubicis decem* Acidi sulfurici diluti, si, Solutione Jodi et Zinco admixtis, eandem rationem, quam in Acido hydrochlorico examinando, secutus eris, chartam solutione Argenti nitrici concentrata (1 = 2) imbutam ne mutent.

Natrium salicylicum.

Squamulae crystallinae albae, saporis e dulci salsi, anhydrae, in *partibus 0,9* Aquae, in *sex* Spiritus solubiles.

Addito Ferro sesquichlorato, solutio aquosa concentrata colorem e rubro fuscum, diluta (1 = 1000) colorem violaceum trahit; illa, Acido hydrochlorico admixto, crystalla alba, in Aethere facile solubilia demittit. Sal fervefactum residuum relinquit carbonitum, quod acidis admixtis effervescit et flammam colore flavo inficit.

Salis solutio aquosa concentrata sit reactionis subacidae, coloris expers; aliquamdiu seposita dumtaxat leviter rubescat. In Acido sulfurico sal ita solvatur, ut non effervescat coloremque fere nullum trahat. Solutio aquosa (1=20) ne Baryo nitrico mutetur neve, si Acidum nitricum admiscueris et crystalla inde expulsa in Spiritu resolveris, Argento nitrico turbetur.

Natrium sulfuricum.

Crystalla coloris expertia, fatiscentia, facile liquescentia; in *partibus tribus* Aquae frigidae, in *0,3* Aquae calore 33°, *0,4* calore 100° solubilia sunt, non solubilia in Spiritu. Ansae fili platinei affixa et fervefacta flammam colore flavo inficiunt; solutio aquosa, adjecto Baryo nitrico, sedimentum album, in acidis non solubile praebet.

Solutio aquosa (1 = 20) sit neutralis, eadem ne Aqua hydrosulfurata, neve Liquore Ammonii sulfurati, neve Ammonio oxalico, neve, si Liquorem Ammonii caustici addideris, Natrio phosphorico mutetur; Argento nitrico admixto, tantummodo opalescat.

Natrium sulfuricum siccum.

Natrium sulfuricum grosse contritum calori 25° non excedenti ita expone, ut a pulvere tectum sit. Cum plane dilapsum erit, calore 40 ad 50° sicca, donec *pondus dimidium* amiserit. Deinde per cribrum transmitte.

Natrium sulfuricum, in crystalla minutiora (quae

forma Magnesii sulfurici dicitur) redactum, ad Natrium sulfuricum siccum parandum haud idoneum est.

Pulvis albus, subtilis, laxus.

Quotiescunque Natrium sulfuricum ad mixtiones pulveratas praescriptum erit, Natrium sulfuricum siccum dispensa.

Oleum Amygdalarum.

Oleum unguinosum seminum, quae offert **Prunus Amygdalus**, clare flavum, frigore 10° limpidum remanens, saporis mitis, ponderis specifici 0,915 ad 0,920. *Partibus* Olei *quindecim* cum mixtione, quae constat ex *partibus duabus* Aquae et *partibus tribus* Acidi nitrici fumantis, vehementer conquassatis, fiat mixtio albida, non fusca aut rubra, quae nonnullis horis peractis in massam solidam albam et in liquorem coloris fere expertem discedit.

Oleum Anisi.

Oleum aethereum fructuum, quos offert **Pimpinella Anisum.** Frigore massa crystallina alba, calore 15° ex parte liquescens; prorsus liquefacta fit liquor coloris expers, lucem valde refringens, maxime aromaticus, ponderis specifici 0,980 ad 0,990. Oleum Anisi limpidum est, cum Spiritu misceri potest; quae solutio nec laccam musci mutat neque Ferro sesquichlorato coloratur. Olei Anisi *gutta una,* cum Saccharo contrita et cum Aquae *grammatis quingentis* conquassata, his saporem Anisi purum impertiat.

Oleum Aurantii Florum.

Oleum e floribus recentibus, quos offert **Citrus vulgaris**, Aqua adjecta destillatum, subfuscum, odoris suavissimi; cujus aliqua pars, *aequali quantitate* Spiritus superposita, in vase leniter versato colore belle violaceo fluorescit. Solutio spirituosa Olei saporis subamari chartam exploratoriam non permutat.

Oleum Cacao.

Sebum expressum ex seminibus, quae offert **Theobroma Cacao**, decorticatis, coloris pallidissime dumtaxat subflavescentis; odoris suavis et saporis mitis purique, qualis est Cacao. Oleum Cacao calore 15° fragile est, 30 ad 35° limpide liquescit. In Aetheris *partibus duabus* solutum calore 12 ad 15° intra diei tempus limpidum remanet.

Oleum Cajeputi.

Oleum aethereum foliorum, quae offert **Melaleuca Leucadendron**, plerumque colore cupreo viridi obductorum. Odoris specialis, saporis aromatici, paullum subamari. Addita Acidi hydrochlorici diluti *gutta una*, Oleum cum Aqua conquassatum decoloratur. Calore 50° Jodi pulverati *parte una* Olei Cajeputi *partibus quinque* sensim admixta, mixtio refrigerata ad pultem crystallinam rigescit.

Oleum Calami.

Oleum e rhizomatis, quae offert **Acorus Calamus**, destillatum; coloris e flavo subfusci, valde aromaticum, saporis alieni amari. Oleum Calami *aequali* Spiritus *quantitate* dilutum, si Liquoris sesquichlorati *guttam unam* adjeceris, colorem e perfusco rubescentem ducit.

Oleum camphoratum.

Camphorae *partem unam* **1,**
in
Olei Olivarum *partibus novem* **9**
solutam, filtra.

Oleum cantharidatum.

Cantharidum crasse pulveratarum *partes tres* **3,**
Olei Rapae *partibus decem* **10**
superfusas, per horas decem in balneo vaporis digere, tum exprime et filtra.

Sit oleum coloris e viridi flavi.

Oleum Carvi.

Pars majore calore ebulliens olei e fructibus, quos offert **Carum Carvi**, excepti. Liquor pallide subflavus vel coloris expers, calore 224° perfecte ebulliens, odoris Fructuum Carvi optimi. Ponderis specifici non

inferioris quam 0,910. Oleum Carvi, *aequali* Spiritus *quantitate* dilutum, si *guttam unam* Liquoris Ferri sesquichlorati adjeceris, colorem subviolaceum vel rubescentem trahit. Olei Carvi *partes decem*, *partibus octo* Spiritus et *parte una* Liquoris Ammonii caustici admixtis, Hydrogenio sulfurato saturatae ad massam crystallinam albam rigescunt.

Oleum Caryophyllorum.

Oleum aethereum, quod offerunt **Caryophylli**, coloris flavidi vel fusci, ponderis specifici 1,041 ad 1,060, odoris saporisque acriter aromatici, laccam musci non rubicans. Cum *parte aequali* Liquoris Ammonii caustici, cujus pondus specificum 0,930 aut infra est, frigore conquassatum, Oleum Caryophyllorum ad massam crystallinam mollem, flavam rigescit. Olei Caryophyllorum *gutta una*, in pariete interiore vasis vitrei expansa, vapore Bromi in illud introducto, colorem caeruleum vel violaceum trahit. *Gutta una* Olei Caryophyllorum, in *grammatis quattuor* Spiritus soluta, si *guttam unam* Liquoris Ferri sesquichlorati, Aquae *pondere vicies* tanto majore diluti, addideris, colorem caeruleum ducit. Aqua fervida, cum Oleo Caryophyllorum conquassata, reactionem acidam ne trahat; si refrigeraveris, Aqua limpide filtrata, *gutta una* Liquoris Ferri sesquichlorati addita, ne ducat colorem caeruleum aut viridem; sed flavescit addita Aqua Calcariae. Oleum Caryophyllorum *aequali* aut *majore copia* Spiritus dilutum limpide misceatur.

Oleum Cinnamomi.

Oleum aethereum, quod offert **Cortex Cinnamomi**, ejus aromate praeditum. Liquor flavus vel subfuscus, ponderis specifici 1,055 ad 1,065, qui cum Spiritu quavis proportione limpide misceri potest. Olei Cinnamomi *guttae quattuor*, cum *guttis quattuor* Acidi nitrici fumantis conquassatae, acus vel lamellas crystallinas efficiunt neque ipsae incalescunt. Olei Cinnamomi *guttae quattuor*, Spiritus *centimetris cubicis decem* dilutae, *gutta una* Liquoris Ferri sesquichlorati adjecta, colorem dumtaxat fuscum, neque vero viridem caeruleumve trahant. Aqua, cum Oleo Cinnamomi conquassata, saporis est dulcis, deinde ustulantis, aromatici.

Oleum Citri.

Fructuum, quos offert **Citrus Limonum**, oleum aethereum, sine destillatione ex recentibus fructuum corticibus paratum; coloris e flavido pallentis, odoris delicati, qualis est Fructuum Citri, cum Spiritu non omni proportione limpide misceri potest. Olei Citri *gutta una*, cum Saccharo contrita et cum Aquae *grammatis quingentis* conquassata, huic odorem Fructuum Citri purum impertiat.

Oleo in retorta, donec ebullire incipiat, fervefacto, Spiritus ne transeat.

Oleum Cocos.

Sebum nucleorum seminum, quae offert **Cocos nucifera**, coloris albi, spissitudinis butyri, calore 23 ad 30° limpide liquescit, odorem levem, specialem exhalans.

Oleum Crotonis.

Oleum ex nucleis seminum, quae offert **Croton Tiglium**, expressum, unguinosum, spisse liquidum, coloris fusci, reactionis acidae.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 0,05.
Dosis maxima pro die 0,1.

Oleum Foeniculi.

Oleum aethereum fructuum, quos offert **Foeniculum capillaceum**; coloris expers, odoris valde aromatici; ponderis specifici non inferioris quam 0,96. Frigore saepius lamellae crystallinae Anetholi in eo formantur. Oleum Foeniculi Spiritu ita diluitur, ut non turbetur; quae solutio laccam musci non mutat, neque Ferro sesquichlorato coloratur. Olei Foeniculi *gutta una*, cum Saccharo contrita et cum Aquae *grammatis quingentis* conquassata, huic saporem purum Fructuum Foeniculi impertiat.

Oleum Hyoscyami.

Herbae Hyoscyami concisae *partes quattuor* .. 4
et
Spiritus *partes tres* 3
per aliquot horas macera, tum,
Olei Olivarum *partibus quadraginta* 40
admixtis, in balneo vaporis interdum agitando digere, quoad Spiritus aufugerit. Denique exprime et filtra.

Coloris sit e subfusco viridis.

Oleum Jecoris Aselli.

Oleum ex jecoribus, quae habet **Gadus Morrhua**, recentibus lenissimo calore in balneo vaporis paratum, coloris ex flavo pallentis, et odoris et saporis specialis, non rancidi. Charta exploratoria Spiritu humectata hoc Oleo dumtaxat perpaullum rubefiat. Cujus *gutta una*, in Carbonei sulfurati *guttis viginti* soluta, si cum Acidi sulfurici *gutta una* conquassaveris, per momentum colorem trahit bellum, e violaceo rubrum. Idem, calore 0° diutius sepositum, Stearini nihil, vel ne plus quam pauxillum demittat.

Oleum Juniperi.

Oleum aethereum ex fructibus, quos offert **Juniperus communis**, destillando exceptum, coloris aut nullius aut ex flavido pallescentis, in Spiritu parum solubile; cum Carboneo sulfurato limpide misceri potest. Ne sit

spisse liquidum. Cujus *gutta una*, cum Saccharo contrita et Aquae *grammatis quingentis* conquassata, huic saporem acrem ne impertiat.

Oleum Lauri.

E fructibus, quos offert **Laurus nobilis**, exprimendo effectum. Mixtio crystallina, viridis, unguinosa, ex adipe et oleo aethereo composita. Calore fere 40° fit liquor perviridis, aromaticus; quo cum Spiritus *pondere duplici* calefacto, solutio, postquam refrixerit, decanthata Liquore Ammonii caustici ne rubicetur.

Oleum Lavandulae.

Oleum aethereum florum, quos offert **Lavandula vera**, eorum odore praeditum. Liquor coloris expers vel subflavescens, ponderis specifici 0,885 ad 0,895. Cum Spiritu limpide misceri potest, nec non cum liquore, qui in *centum partibus nonaginta* Acidi acetici continet. Oleum, cum destillatur, Spiritum ne expellat.

Oleum Lini.

Oleum pingue e seminibus, quae offert **Linum usitatissimum**, paratum; coloris flavi, odoris specialis, etiam frigore 20° liquidum, in stratum extenuatum jamjam exsiccescens, ponderis specifici 0,936 ad 0,940.

Oleum Macidis.

Oleum aethereum ex arillis, quos offert **Myristica fragrans**, exceptum; coloris expers vel pallide subflavum, odoris Macidis.

Oleum Menthae piperitae.

Oleum aethereum e foliis et germinibus florentibus, quae offert **Mentha piperita**, paratum, ponderis specifici 0,90 ad 0,91; cum Spiritu vel diluto limpide misceri potest. Quo *grammatis 0,2* Jodi pulverati humectatis, calor ne augeatur. Eodem in retorta usque eo fervefacto, donec ebullire incipiat, Spiritus ne transeat.

Oleum Nucistae.

E nucleis seminum, quae offert **Myristica fragrans**, paratum; mixtio e rubro fusca, passim alba, e substantia unguinosa, oleo aethereo, pigmento composita. Odoris et saporis est aromatici Seminis Myristicae, calore fere 45° ad liquorem e fusco rubrum, non plane limpidum liquescit. Oleo Nucistae cum Spiritus *pondere decemplici* calefacto, solutio limpida, pallide subflava, quam post refrigerationem filtrando effeceris, addito Liquore Ammonii caustici, colorem ne praebeat nisi paullum subfuscum, nec vero rubrum; Ferro sesquichlorato addito, colorem trahat tantummodo sordide fuscum.

Oleum Olivarum.

Oleum ex sarcocarpio, quod offert **Olea Europaea**, frigore expressum, coloris flavi, saepe paene subviridis, odoris levis, specialis, saporis suavis, ponderis specifici 0,915 ad 0,918. Oleum Olivarum calore circiter 10° sedimentis crystallinis turbari incipit, calore 0° ad massam unguinosam spissescit. Olei *grammatis quinque* cum *guttis quindecim* Acidi nitrici ponderis specifici 1,38 vehementer conquassando mixtis, ne Acidum, neve massa, quae Acido superstat, colorem rubrum ducat. Olei Olivarum *partes quindecim*, cum Aquae *partibus duabus* et Acidi nitrici fumantis *tribus* inter se mixtis vehementer conquassatae, mixtionem praebeant albidam, non rubram fuscamve, quae, una vel duabus horis interjectis, in massam solidam et liquorem vix coloratum discedat.

Oleum Olivarum commune.

Olei pinguis notae deteriores ex sarcocarpio, quod offert **Olea Europaea**, paratae, coloris e flavo subfusci vel subviridis; sedimentis crystallinis fit turbidum vel pultiforme, frigore satis solidum; et odoris et saporis haud ita suavis. Olei *partes quindecim*, cum Aquae *partibus duabus* et Acidi nitrici fumantis *partibus tribus* inter se mixtis vehementer conquassatae, interjectis horis summum duabus, ad massam albam rigescant. Olei *grammata quinque*, in retortula cum *guttis duabus* Acidi sulfurici vehementer conquassata, mixtionem

praebeant coloris subviridis, qui, retortula ad momentum in Aquam ebullientem immersa, non abeat in nigrum.

Oleum Papaveris.

Oleum e seminibus, quae offert **Papaver somniferum**, expressum coloris pallide flavi, saporis mitis et grati, calore 0° limpidum remanens; in stratum extenuatum aëre celerrime spissescit.

Oleum Rapae.

Oleum pingue, quod continent species cultae **Brassicae**, spisse liquidum, coloris e fusco flavi, calore 0° ad massam crystallinam flavam rigescens, et odoris et saporis haud ita suavis, in strata tenuia extensum non siccescens. Cujus pondus specificum ne sit minus 0,913; Olei guttae *viginti*, cum *centimetris cubicis quinque* Carbonei sulfurati et *gutta una* Acidi sulfurici conquassatae, ne colorem trahant caeruleum aut violaceum, sed primo ex subviridi pallentem, deinde subfuscum.

Oleum Ricini.

Oleum e seminibus, quae offert **Ricinus communis**, mundatis expressum; coloris subflavescentis, ponderis specifici 0,950 ad 0,970; adeo lentum est, ut in fila distrahi possit; calore 0° flocculis crystallinis secedentibus turbidum fit, frigore aucto in butyri spissitudinem transit. Oleum Ricini est odoris et saporis specialis, in stratum tenue dispersum lente siccescit. Cum Acido acetico et

Spiritu absoluto quavis proportione limpide misceri potest, eodem modo cum Spiritus *partibus una* ad *tres*. *Grammatis tribus* Olei Ricini cum *grammatis tribus* Carbonei sulfurati et *grammatis duobus* Acidi sulfurici per breve tempus conquassatis, mixtio ne ducat colorem e nigro fuscum.

Oleum Rosae.

Oleum aethereum, quod offerunt **Rosae**; liquor e flavido pallens, in quo efficiuntur frigore lamellae crystallinae, pellucidae, calore 12 ad 15° denuo evanescentes. Cujus *parti uni*, Chloroformii *partibus quinque* dilutae, si Spiritus *partes viginti* addideris, assulae crystallinae secedunt; lixivium spirituosum chartam exploratoriam Aqua humectatam ne rubicet. Olei Rosae *gutta una*, cum Saccharo contrita et cum Aquae *grammatis quingentis* conquassata, huic odorem purum Rosarum impertiat.

Oleum Rosmarini.

Oleum aethereum e foliis, quae offert **Rosmarinus officinalis**, exceptum; coloris expers vel paullum flavescens; rectificatione maximam partem calore inferiore quam 170° destillatur, odoris Camphorae similis.

Oleum Sinapis.

Oleum ex seminibus, quae offert **Brassica nigra**, Aqua frigida mollitis destillando paratum; coloris est flavidi, odoris acerrimi, ponderis specifici 1,016 ad 1,022.

Quo Oleo destillato, portiones, quae primae transeunt, ejusdem sint ponderis specifici, cujus et Oleum ipsum et portiones ultimae exceptae. Infra 148° ebullire ne incipiat; hoc calore transeat. Acidi sulfurici *grammatis sex* ad *grammata tria* hujus Olei paullatim ita additis, ut bene refrigerentur, mixtio conquassata, Acido sulfuroso aufugiente, remanet clare flava, prorsus limpida, deinde fit tenaciter liquida, interdum crystallina, amittit odorem acrem Olei Sinapis.

Grammata tria ejusdem Olei, cum *grammatis tribus* Spiritus, *sex* Liquoris Ammonii caustici in retortula conquassata, mixtionem efficiunt, quae frigore post aliquot horas limpidescit (celeriter calore 50°) et crystalla Thiosinammini coloris expertia plerumque praebet. Unde flavum lixivium decanthatum in balneo aquae paullatim ita evapora, ut non prius quicquam liquoris restituas, quam odor Ammonii evanuerit. Jam et crystallis in patellam injectis et eis, quae retortula continentur, ope Spiritus in eandem collutis, patellam in balneo aquae calefac, donec ejus pondus jam non minuatur. Thiosinamminum, *grammatum 3,25* ad *3,50 pondere*, quod hac ratione effeceris, refrigeratum massa est crystallina, subfusca, calore 70° liquescens, odoris porri, omnino non acris, quae in *pondere duplici* Aquae calidae ad liquorem neutralem saporis subamari neque vero persistentis solvitur.

Caute servetur.

Oleum Terebinthinae.

Oleum aethereum Terebinthinarum, praesertim earum, quas praebent **Pinus Pinaster** et **Pinus australis** et **Pinus Taeda**; coloris aut nullius est aut e subflavo pallentis, odoris specialis, ponderis specifici 0,855 ad 0,865; calore 150 ad 160° ebullit.

Oleum Terebinthinae rectificatum.

Oleum Terebinthinae, cum *pondere sextuplo* Aquae Calcariae conquassatum et, donec ejus circiter dodrans transierit, destillatum limpide abstrahe. Sit coloris expers, ponderis specifici 0,855 ad 0,865; in Spiritu solutum chartam exploratoriam Aqua humectatam ne mutet. Calore 160° ebullit.

Oleum Thymi.

Oleum aethereum e foliis et germinibus florentibus, quae offert **Thymus vulgaris**, paratum; coloris expers vel perpaullum rubescens, odoris et saporis fortiter aromatici; in Spiritus *pondere dimidio* solvitur; quae solutio, *gutta una* Liquoris Ferri sesquichlorati adjecta, colorem e subflavo fuscum ne trahat.

Opium.

Succus lacteus in Asia Minore e capsulis, quas offert **Papaver somniferum**, insectis paratus et sponte desiccatus; massa fusca, intus aequabilis, primo mollis, aëre plane exsiccata fragilis. Opii placentae involvuntur foliis Papaveris, quae fructibus Rumicis cujusdam conspergi solent. Opium odoris est narcotici, saporis acriter amari, ustulantis.

Antequam adhibeas, concidatur et, si opus fuerit, calore 60° non superante exsiccetur, donec conterendo ad pulverem redigi possit. Qui pulvis, hac ratione examinatus, ne minus quam *partes decem* Morphini in *centum* praebeat.

Opii pulverati *grammata octo*, cum *octoginta* Aquae commixta et interdum conquassata, post semidiem filtra. Liquoris filtrando effecti *grammata quadraginta duo et dimidium* si Spiritus *grammatis duodecim*, Aetheris *decem*, Liquoris Ammonii caustici *uno* temperaveris, mixtionem inde ortam in vase clauso per horas duodecim calore 10 ad 15° ita sepone, ut saepius conquasses. Quo facto id, quod vase continetur, in filtrum parvum *millimetrorum octoginta* diametro, calore 100° siccatum et pensum, immitte. Liquore delapso Morphini crystalla, quae remanserint, mixtione, ex Spiritus diluti, Aquae, Aetheris *singulorum grammatis duobus* constante, bis eluta in filtro calore 100° sicca: pondus eorum ne sit minus *grammatum 0,4*.

Quod Morphinum, cum *partibus centum* Aquae Calcariae conquassatum, aliquot horis post solutionem ef-

ficiat flavidam, quae, Aqua chlorata paullatim affusa, colorem constantem e fusco rubrum, Liquore Ferri sesquichlorati admixto, caeruleum vel viridem trahat.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 0,15.

Dosis maxima pro die 0,5.

Oxymel Scillae.

Aceti Scillae *partes quinque* **5**

et

Mellis depurati *partes decem* **10**

inter se mixtas in balneo vaporis evapora, donec

Partes decem **10**

remanserint, tum cola.

Sit limpidum, e fusco flavum.

Paraffinum liquidum.

Liquor oleaceus e Petroleo, remotis portionibus calore exiguo ebullientibus, paratus, limpidus, ponderis specifici non minoris quam 0,840.

Sit liber a substantiis coloratis, fluorescentibus, olentibus, ne ebulliat calore minore quam 360°.

Acidum sulfuricum, cum Paraffino liquido calore balnei aquae per diem unum saepius conquassando commixtum, ne hoc mutet, neve ipsum furvescat nisi paullum. Natrium metallicum, si eadem ratione cum Paraffino liquido per diei tempus tractaveris, nitidum

remaneat; Spiritus, cum Paraffino liquido coctus, ne fiat reactionis acidae.

Paraffinum solidum.

Massa e mineris cremabilibus parata, solida, alba, microcrystallina, odoris expers; calore 74 ad 80° liquescit; sit eadem puritate, qua Paraffinum liquidum esse oportet.

Pepsinum.

Pulvis subtilis, paene albus, non hygroscopicus; et odoris et saporis paene expers; in Aqua non limpide solvitur. *Guttis duabus* Acidi hydrochlorici adjectis, solutio limpidior fit. Pepsini *gramma 0,1*, in Aquae *grammatis centum quinquaginta* et Acidi hydrochlorici *grammatis duobus et dimidio* solutum, *grammata decem* albuminis ovi cocti, in frusta lentis magnitudine dissecta, si saepe et vehementer conquassaveris, intra quattuor ad sex horas calore 40° ad liquorem paullum opalescentem solvat.

Percha lamellata.

Succus lacteus siccatus, depuratus, cylindri ope maxime extenuatus, quem praebent praesertim **Dichopsis** (Isonandra) **Gutta** etiamque aliae species generum, quae sunt **Dichopsis, Ceratophorus, Payena.** Percha lamellata sit e rubro fusca, diaphana, maxime elastica, haud adhaesiva.

Phosphorus.

Frusta cylindrica alba vel subflava, nitoris cerei, diaphana. Phosphorus sub Aqua calore 44° liquescit, aëre fumat, odorem specialem exhalans, facile exardescit, in obscuro lucet, diutius servatus colorem rubrum, interdum vel nigrum ducit. In Aqua non solvitur, facile vero in Carboneo sulfurato, difficilius in oleis sebacicis et aethereis, paullum in Spiritu et Aethere.

Cautissime sub Aqua, a luce remotus, servetur.

Dosis maxima singula 0,001.
Dosis maxima pro die 0,005.

Physostigminum salicylicum.

Crystalla coloris expertia vel subflavescentia, in *partibus centum quinquaginta* Aquae, in *duodecim* Spiritus solubilia. Sal siccum, vel luci expositum, diutius integrum remanet; solutio aquosa aut spirituosa etiam luci dispersae exposita intra paucas horas colorem subrubrum trahit.

Solutio aquosa, addito Liquore Ferri sesquichlorati diluto, colorem violaceum ducit, Solutione Jodi turbatur. Solutio Acido sulfurico parata initio coloris expers est, postea colorem flavum ducit.

Cautissime, a luce remotum, servetur.

Dosis maxima singula 0,001.
Dosis maxima pro die 0,003.

Pilocarpinum hydrochloricum.

Crystalla alba, neutralia, saporis amari, aëre humescentia; in Aqua aut Spiritu facile solubilia, paullum vero in Aethere aut Chloroformio. In Acido nitrico fumante ita solvuntur, ut colorem e subviridi pallentem trahant.

In salis solutione aquosa diluta Liquor Ammonii caustici sedimentum non efficit; Liquor Natri caustici solutionem non turbat nisi concentratam.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 0,03.
Dosis maxima pro die 0,06.

Pilulae aloëticae ferratae.

Ferri sulfurici sicci,
Aloës pulveratae *singulorum partes aequales*
mixtas contere cum tanta Spiritus copia, ut fiat massa, ex qua pilulae *grammatis 0,1 pondere* formentur. Quae pilulae Tinctura Aloës illinantur, ut superficie sint nitida, nigra.

Pilulae Ferri carbonici.

Ferri sulfurici *partes quinquaginta* **50,**
in
Aquae ebullientis *partibus ducentis* **200**
solutas, in lagenam amplam filtra, quae
Natrii bicarbonici *partes triginta quinque* **35,**
in

Aquae tepidae *partibus quingentis*..... **500**
limpide solutas, continet.

Quibus caute mixtis, lagenam Aqua fervida impletam et leviter clausam sepone.

Liquore, qui sedimento superstat, remoto, lagenam Aqua fervida iterum imple, iterumque liquorem, postquam subsederit, abstrahe, id quod iteretur, quoad liquor Baryo nitrico vixdum turbetur.

A quo sedimentum quam maxime liberatum in patina porcellanica commisce cum

Sacchari pulverati *partibus octo*..... **8**
et

Mellis depurati *partibus viginti sex*..... **26;**
quam mixtionem in balneo vaporis celeriter redige ad pondus

Partium quadraginta..... **40.**

Cujus massae e *grammatis vicenis*, addita Radice Althaeae pulverata, forma pilulas *ducentas*, quae pulvere Corticis Cinnamomi conspergantur.

Pilulae singulae continent Ferri *grammata 0,025.*

Pilulae Jalapae.

Saponis jalapini *partes tres*..... **3**
et

Tuberum Jalapae pulveratorum *partem unam*.. **1**

misce, ut fiat massa, ex qua formentur pilulae *grammatis 0,1 pondere.*

Quas pilulas Lycopodio consperge et, antequam serves, loco calido sicca.

Pix liquida.

Ex ligno, quod offerunt Abietineae, praesertim **Pinus silvestris** et **Larix Sibirica**, via sicca destillando parata. Massa spisse liquida, e fusco nigra, crystallulis microscopicis insertis plerumque paullum grumosa, odoris maxime specialis. Pix liquida, cum Aqua conquassata, desidit; quae Aqua et colorem e flavido valde pallescentem et odorem saporemque Picis liquidae et reactionem acidam ducit. Extractum Picis liquidae aquosum, addito Liquore Ferri sesquichlorati dilutissimo, per breve tempus colorem viridem, addita Aqua Calcariae, colorem constantem, e fusco rubrum trahit.

Placenta Seminis Lini.

Reliquiae seminum, quae offert **Linum usitatissimum**, extortorum; placentae durae, griseae. Pulvis earum, Aqua ebulliente superfusus ac deinde filtratus, praebet liquorem mucilaginosum saporis insipidi; liquore refrigerato et cum Jodo conquassato, color caeruleus ne oriatur. Sub microscopio in pulvere Placentarum extortarum frustula testae Seminum Lini cognoscuntur, quae sunt coloris clare flavi, non e nigro fusci.

Plumbum aceticum.

Crystalla coloris expertia, diaphana, leviter fatiscentia vel massae crystallinae albae, quae Acidum aceticum redolent; in Aquae *partibus 2,3*, Spiritus *28,6* solvuntur. Solutio aquosa saporis est subdulciter constringentis; addito Hydrogenio sulfurato, sedimentum nigrum, Acido sulfurico, album, Kalio jodato, flavum demittit.

Sal in Aquae *partibus decem* aut limpide aut ita solvatur, ut tantummodo leviter opalescat. Quae solutio, Kalio ferro-cyanato adjecto, sedimentum pure album demittit.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 0,1.
Dosis maxima pro die 0,5

Plumbum aceticum crudum.

Plumbum aceticum crudum in Aquae *partibus tribus* solutum opalescere licet, sed, Solutione Kalii ferro-cyanati addita, ne sedimentum praebeat coloratum.

Caute servetur.

Plumbum jodatum.

Pulvis ponderosus, flavus, in Aquae circiter *duobus milibus partium*, facile vero in Solutione Ammonii chlorati fervida solubilis. Calefactus vapores violaceos emittens liquescit; solutio aquosa, ope Ammonii chlo-

rati calore parata et Hydrogenio sulfurato praecipitata, si filtraveris, liquorem praebet, qui evaporatus et leniter candefactus volatilis est.

Caute servetur.

Podophyllinum.

Podophyllinum, ex extracto spirituoso rhizomatis, quod offert **Podophyllum peltatum**, Aqua praecipitatum, est pulvis flavus vel massa laxa, friabilis, coloris e flavido vel subfusco grisei, si microscopio subjeceris, amorpha.

Podophyllinum calore 100° paullatim colorem obscuriorem trahit neque vero liquescit; idem, cum Aqua conquassatum ac deinde filtratum, liquorem praebet coloris paene expertem, saporis amari, laccam musci non mutantem, qui addito Ferro sesquichlorato colorem fuscum ducit. Idem, Liquore Plumbi subacetici addito, colorem flavum trahit et perpaullum opalescit; aliquot horis circumactis, flocculi coloris e rubro flavi subsidunt.

Podophyllinum, in Liquoris Ammonii caustici *partibus centum* solutum, liquorem efficit coloris ex flavo fusci, qui Aqua dilutus non turbatur; solutione ammoniacali neutralisata, flocculi fusci subsidunt. Podophyllinum, in Spiritus *partibus decem* solutum, liquorem efficit intense fuscum, ex quo, Aqua addita, flocculi coloris ex griseo fusci praecipitantur. Podophyllinum in Aethere tantum ex parte solvitur, multo minus etiam in Carboneo sulfurato.

Potio Riveri.

Acidi citrici *partibus quattuor* 4,
in
Aquae *partibus centum nonaginta* 190
solutis, adde
Natrii carbonici crystallorum parvorum formam praebentis *partes novem* . . . 9.

Postquam hae moderate turbinando lente solutae erunt, vas claude.

Ne paretur nisi ad dispensationem.

Pulpa Tamarindorum cruda.

Pulpa e fusco nigra siliquarum, quas offert **Tamarindus Indica**; massa paullulum tenax, mollis, cui admixta sunt perpauca semina, loculamenta seminum pergamena, solidi fructus fasciculi vasorum, fragmenta corticis ejus fragilis, e fusco grisei. Pulpa Tamarindorum est saporis puri et valde acidi.

Pulpa Tamarindorum depurata.

Pulpa Tamarindorum cruda, addita Aqua fervida, aequabiliter emolliatur, tum per cribrum setaceum transmissa in vase porcellanico balneo vaporis superposito ad Extractum **spissum** evaporando redigatur.

Pulpae hujus adhuc calentis *partibus quinis* . . . 5
Sacchari pulverati *partes singulae* 1
admisceantur.

Sit e nigro fusca, saporis acidi, suavis.

Bacillum ferreum politum, quod in Pulpam Aqua

dilutam per semihoram immerseris, colorem subrubrum ne ducat.

Pulvis aërophorus.

Natrii bicarbonici *partes decem* 10,
Acidi tartarici *partes novem* 9,
Sacchari *partes novem et decem* 19

singulas in pulverem subtilem redactas et leni calore bene exsiccatas misce.

Sit pulvis siccus, qui in Aqua fortiter effervescens solvatur.

Pulvis aërophorus Anglicus.

Dosim unamquamque compone ex

Natrii bicarbonici pulverati *grammatis duobus* 2

et

Acidi tartarici pulverati *grammate uno et dimidio* 1,5.

Dispensetur Natrium bicarbonicum in charta colorata, Acidum in charta alba.

Pulvis aërophorus laxans.

Dosim unamquamque compone ex

Tartari natronati pulverati *grammatis septem et dimidio* 7,5,
Natrii bicarbonici pulverati *grammatis duobus et dimidio* 2,5,
Acidi tartarici *grammatis duobus* . . . . . 2,0.

Sales mixti dispensentur in charta colorata, Acidum in charta alba.

Pulvis gummosus.

Gummi Arabici *partes quindecim* **15,**
Radicis Liquiritiae *partes decem* **10,**
Sacchari *partes quinque* **5**
subtiliter pulveratas misce.

Pulvis siccus, ex flavo albus, odoris et saporis Radicis Liquiritiae.

Pulvis Ipecacuanhae opiatus.

Opii *partem unam* **1,**
Radicis Ipecacuanhae *partem unam* **1,**
Sacchari Lactis *partes octo* **8**
subtiliter pulveratas misce.

Pulvis clare subfuscus, odoris et saporis Opii.
Caute servetur.

Pulvis Liquiritiae compositus.

Sacchari *partes sex* **6,**
Foliorum Sennae *partes duas* **2,**
Radicis Liquiritiae *partes duas* **2,**
Fructuum Foeniculi *partem unam* **1,**
Sulfuris depurati *partem unam* **1**
subtiliter pulveratas misce.

Sit pulvis siccus, coloris e subviridi flavi.

Pulvis Magnesiae cum Rheo.

Magnesii carbonici *partes sexaginta* **60,**
Elaeosacchari Foeniculi *partes quadraginta* ... **40,**
Radicis Rhei *partes quindecim*..... **15**

subtiliter pulveratas misce.

Pulvis siccus, primum subflavus, postea e subrubro albus, odoris Olei Foeniculi.

Pulvis salicylicus cum Talco.

Acidi salicylici *partes tres* **3,**
Amyli Tritici *partes decem* **10,**
Talci *partes octoginta septem*..... **87**

ad pulverem subtilem misce.

Pulvis albus, siccus.

Radix Althaeae.

Rami radicis, quam offert **Althaea officinalis**, *decimetros duos* aut supra longi, *centimetrum unum et dimidium* crassi, subere e subflavo griseo liberati. In superficie albida, per longitudinem torosa inveniuntur stigmata subfusca et fasciculi libri tenues, tomentosi. Radix Althaeae, *pondere decemplici* Aquae temperata, extractum praebet mucilaginosum, coloris duntaxat subflavi, odoris exigui, specialis, neque aciduli neque ammoniacalis, saporis insipidi. Qui liquor, addito Liquore Ammonii caustici, colorem belle flavum, Aqua jodata, non caeruleum trahit, quod tamen fit, si decoctum radicis refrigeratum adhibueris. Radicem Althaeae intus aut extrinsecus decolorem aut valde lignosam cave ne adhibeas

Radix Angelicae.

Rhizoma breve, foliorum reliquiis instructum, ad *centimetros quinque* crassum, quod offert **Archangelica officinalis**, conjunctim cum ramis creberrimis, ad *decimetros tres* longis, in origine ad *centimetrum unum* crassis. Qui rami sunt per longitudinem sulcati, e transverso gibbosi, coloris e fusco grisei vel subrubri ejusdem, cujus rhizoma ipsum. Rami radicis, qualis plerumque venalis est, capillorum instar inter se connexi et deorsum curvati esse solent. Interdum in superficie grana resinosa coloris e rubro fusci gerunt et saepe in fibrillas tenues dissolvuntur. Radices cerae instar ad dissecandum molles sunt; fracturae sunt laevis. Corticis eorum latitudo diametrum nuclei lignei subflavi maxime aequat; cortex ordines radiales receptaculorum balsamiferorum speciosorum exhibet.

Radix Angelicae est et odoris et saporis valde aromatici.

Radix Colombo.

Disci transversi radicis flavae, quam offert **Iateorrhiza Calumba**, propemodum orbiculares, *centimetros quinque* vel supra diametro et *centimetros duos* crassitudine aequantes; rarius quadrantes ejus longitudinales. Cortex *millimetros* fere *quinque* latus, subere rugoso coloris e fusco subviridis obtectus, zona cambii pulla, subtiliter radiata terminatur. Discorum pars media, saepe crassissime fibrosa, utrimque inaequaliter de-

pressa esse solet. Radix Colombo, *partibus quinque* Aquae superfusa, extractum peramarum, e flavo pallescens efficit. Microscopii ope contemplanti grana Amyli haud exigua in conspectum dat.

Radix Gentianae.

Radicum rami et rhizomata, quae offerunt **Gentiana lutea, Gentiana Pannonica, Gentiana purpurea, Gentiana punctata,** utraque plerumque per longitudinem fissa; plantae, quae primo loco dicta est, radix longior quam *decimetros sex* superiore parte *centimetros* circiter *quattuor crassa* est, specierum ceterarum radices tenuiores sunt. Omnes sunt fuscae, per longitudinem maxime rugosae, suprema parte magis transverse annulatae, pluricipites, parce ramosae, fracturam praebentes laevem, nec lignosam nec fibrosam, intus e fusco subrubram aut clare fuscam. Radices Gentianae Amylum non continent; saporis sunt peramari.

Radix Helenii.

Radicis rami et rhizoma, quae offert **Inula Helenium,** hoc quidem clare griseum, non decorticatum, plerumque per longitudinem concisum. Radicis rami saepe *centimetros quindecim* longi, *centimetrum unum et dimidium* crassi sunt. Fractura laevis, non lignosa; in corticis tela magnae lacunae oleiferae, interdum etiam acus crystallinae nitidae dignoscuntur. Amylo Radix Helenii caret; odoris est specialiter aromatici, saporis subamari.

Radix Ipecacuanhae.

Radicis rami, quos offert **Psychotria Ipecacuanha** (Cephaëlis Ipecacuanha), vermium instar curvati, ad *centimetros quindecim* longi, in media parte *millimetros* summum *quinque* crassi, in utraque extremitate paullo tenuiores, plerumque non ramosi. Cortex griseus vel e subfusco griseus est multipliciter et satis regulariter annulatus, intus albidus, fractura granulosa; cylindrus ligneus tenuis, facile separabilis est coloris clare flavidi. Cortex situm redolet et saporis est insuaviter amari.

Quam radicem si cum *pondere quintuplo* Aquae calidae conquassaveris et hora peracta filtraveris, instillata *exigua quantitate* liquoris constantis ex *grammatis 0,332* Kalii jodati et *grammatis 0,454* Hydrargyri bijodati in *grammatis centum* Aquae solutis, sedimentum copiosum, amorphum, album oritur. *Grammatis 0,2* Radicis Ipecacuanhae cum *grammatis decem* Acidi hydrochlorici conquassatis, id, quod filtrando effeceris, addita Aqua jodata, colorem caeruleum, Calcaria chlorata inspersa, colorem igneum ducit.

Caute servetur.

Radix Levistici.

Radix, quam offert **Levisticum officinale.** Frusta, e quibus constat radix clare e fusco grisea, per longitudinem rugata, superiore parte transverse annulata, plerumque sunt per longitudinem fissa, *centimetros* fere *triginta* ad *quadraginta* longa, *centimetros quattuor* crassa, saepe

etiam reliquiis foliorum coronata. Corticis tela interior magis albida passim resinam fuscam vel e rubro flavam continet. Sectiones transversae tenues Aqua valde turgescunt; diameter cylindri lignei minor est quam corticis spongiosi, in quo circulos inaequales amplarum lacunarum balsamiferarum dignoscere licet. Aroma radicis est specificum.

Radix Liquiritiae.

Stolones, quos offert **Glycyrrhiza glabra**, simplices, *decimetros complures* longi, *millimetros quinque* ad *viginti* crassi, cum paucis radicibus conjuncti. Stolonum superficies e rubro fusca vel e fusco grisea, rugosa passim parvis gemmis conspersa est; sectio eorum transversa, quae est flava, radiata, foraminosa, densissima, medullam habet paullo obscuriorem, saepe angulosam et annulum cambii distincte delineatum. Saporis est specialiter dulcis.

Radix Liquiritiae mundata.

Radices earumque stolones simplices, decorticati, flavi speciei Russicae, quam habet **Glycyrrhiza glabra** (Glycyrrhiza glandulifera). Fractura sunt longissime fibrata, per sectionem transversam junctura crasse radiata, laxissima; plerumque aliquanto crassiores quam *centimetrum unum*, vulgo non longiores quam *decimetros tres;* saporis specialiter dulcis.

Radix Ononidis.

Radix, quam offert **Ononis spinosa**, pedalis, saepissime *centimetros unum* ad *duo* crassa, plerumque curvatissima, per longitudinem rimata et in fibras dissoluta, compressa, circa axem torta, sursum in multa caulium germina abiens. Superficies est coloris grisei vel ex griseo fusci, tela interior tenax coloris albi. Sectio transversa formae maxime inaequalis exhibet multos radios longitudine impares et corticem adhaerescentem, minus quam *millimetrum unum* crassum. Saporis est acris, subacerbi, subdulcis, odoris, qualis est Radicis Liquiritiae, ejusdemque levis.

Radix Pimpinellae.

Rhizomata radicata fusca et radices, quae offerunt **Pimpinella Saxifraga** et **Pimpinella magna.** Rhizoma annulatum, pluriceps, cui interdum fragmenta petiolorum foliorum atque caulium etiamtum adhaerent, deorsum desinit in radices rugosas et gibberosas, ad *decimetros duo* longas, ad *millimetros quindecim* crassas. Quarum in sectione transversa diameter flavi cylindri lignei fere aequat latitudinem corticis albi, qui extrorsus grandibus lacunis instructus et multis ordinibus cellularum balsamiferarum e fusco flavarum radiate trajectus est. Radix Pimpinellae facilis est ad dissecandum; odoris et saporis acriter aromatici, maxime specialis.

Radix Ratanhiae.

Radicis rami *decimetros plures* longi, ad *centimetros tres* crassi, quos offert **Krameria triandra.** Lignum e fusco rubrum, intus albidum circumdatum est cortice *millimetrum* fere *unum* crasso, intense e fusco rubro, haud verrucoso, breviter fibrato, qui in charta lineam fuscam ducit. E crassioribus ramis cortex deglubitur rimis transversis. Huic, sed non ligno sapor ille acerbissimus proprius est.

Cortice cum Aquae *partibus trecentis* conquassato, extractum subfuscum efficitur, quod, addito Ferro sesquichlorato, viridem trahit colorem; paullo post in liquore sedimentum fuscum subsidit. Corticis *pars una*, cum *parte una* Ferri subtiliter pulverati et *partibus trecentis* Aquae conquassata, quattuor horis peractis, liquorem dat e rubro fuscum, non violaceum.

Radix Rhei.

Rhizomata, quae offerunt species Rhei in Chinae provinciis centralibus nascentes, praesertim **Rheum officinale**, decorticata, saepe inaequaliter concisa. Quorum tela densissima, ut e fractura recenti discutiendo effecta cognoscere licet, mixta est ex massa principali granosa, non fibrosa, nitide alba et radiis medullaribus e fusco rubris. Hi in partibus interioribus sine ordine diffluunt, superficiem versus orbes radiatos efficiunt *centimetri* summum *unius* diametro. Eorundem dispositio non est regulariter radialis nisi in extremo rhizomatum strato perangusto. Et odoris et saporis maxime specialis est.

Radix Sarsaparillae.

Specierum Smilacis in America media nascentium radices importatae, quibus nomen est **Honduras-Sarsaparilla.** Ne adhibe nisi radices ad *decimetros septem* longas, *millimetros quattuor* crassas, rhizomate rejecto. Sunt satis aequaliter cylindratae, partim per longitudinem sulcatae, plerumque non ramosae, coloris e subfusco grisei, interdum prope ex flavo subrubri. Endodermidis orbem arcte clausum, fuscum, angustum in sectione transversa circumdatum esse apparet tela corticis multo latiore, pure alba, Amylo abundante. Radix Sarsaparillae saporis est mucilaginosi, deinde acris.

Radix Senegae.

Radicis caput, quod offert **Polygala Senega**, tuberosum, crebris caulium fragmentis et rubellis foliorum lepidibus praeditum, conjunctim cum radice supra annulata, *centimetrum* summum *unum et dimidium* crassa, ejusque ramulis raris, divergentibus, ad *decimetros duo* longis, simplicibus. In cortice flavido carina surgere solet, quae ramulum radicis circumdat. Ex adverso plerumque surgunt tori transversi. Cortice non crassiore quam *millimetrum unum* remoto, cylindrum ligneum, qui medulla caret, crebris locis scissum et excavatum esse apparet. Radix Senegae nihil Amyli continet; odoris est subrancidi, saporis vehementer acris.

Radix Taraxaci cum Herba.

Tota planta, quam offert **Taraxacum officinale**, tempore verno, priusquam efflorescat, collecta et exsiccata.

Radix Valerianae.

Rhizoma, quod offert **Valeriana officinalis**, paullum tuberosum, ad *centimetros duos* crassum et *centimetros quattuor* longum, erectum, infima parte emortuum, confertum radicibus *millimetros* summum *duo* crassis, *decimetros duo* aut supra longis, coloris e griseo fusci vel e subfusco flavidi; crassiora rhizomata intus instructa loculamentis transversis. Radicem e transverso dissecanti apparet tenuem cylindrum ligneum cortice albido vel quater tanto latiore circumdatum esse. Radix odoris est specialiter fortis; saporis aromatici, subdulcis, subamari.

Resina Dammar.

Resina, quam offerunt **Dammara alba** (Agathis alba), **Dammara orientalis**, **Hopea micrantha**, **Hopea splendida**, nescio an etiam aliae arbores in India meridionali nascentes. Guttae stalacticae, pellucidae, coloris e flavido albi vel frusta *centimetrorum plurium*, partim pyriformia partim clavata vel massae informes.

Colophonium rimantur; contrita pulverem album odoris expertem efficiunt, qui calore 100° non mollescit.

Resina Dammar in Aethere, Chloroformio, Carboneo sulfurato copiose solvitur, minus in Spiritu et Benzino Petrolei.

Resina Jalapae.

Tuberum Jalapae crasse pulveratorum *partem unam* **1,**

Spiritus *partibus quattuor* **4**

additis, per viginti quattuor horas ita digere, ut saepius conquasses; refrigeratas exprime. Id, quod restiterit,

Spiritus *partibus duabus* **2**

iterum superfunde et fac sicut antea.

Jam postquam de his extractis mixtis et filtratis Spiritum destillando removeris, resinam, quae restiterit, Aqua calida usque eo elue, dum haec colorari desinat; tum in balneo vaporis agitando adeo sicca, ut refrigerata conteri possit.

Sit coloris fusci, in fracturae marginibus nitidis diaphana, facile friabilis, in Spiritu facile solubilis, non ita in Carboneo sulfurato. In *partibus quinque* Liquoris Ammonii caustici calidi solvatur: quae solutio refrigerata non in gelatinam rigescat et, acidis nimis saturata, limpida maneat. Eadem statim evaporata, id, quod restiterit, in Aqua solubile esse oportet.

Caute servetur.

Rhizoma Calami.

Rhizoma, quod offert **Acorus Calamus**, radicibus, vaginis, caulibus mundatum, non decorticatum, ad *decimetros duo* longum. In parte superiore stigmatis foliorum in lacunaria triangula coloris grisei divisum est, quae fuscis trunci particulis alternis vicibus succedunt; in parte inferiore stigmata radicum intense fusca, argute marginata, flexuose disposita duntaxat paullum surgunt e cortice fusco, per longitudinem rugato. In sectione transversa elliptica, *centimetrum* circiter *unum et dimidium* lata, subfusca cylindrum, quem fasciculi vasorum formant, cortice circiter ter tanto angustiore, plerumque paullo obscuriore circumdatum esse apparet. Rhizoma Calami aromatis est specialis simulque saporis amari.

Rhizoma Filicis.

Rhizoma, quod offert **Aspidium Filix mas**, non decorticatum una cum foliorum basibus, radicibus et paleis repurgatum sub finem anni colligendum. Bases foliorum angulosae, curvatae, *aliquot centimetros* longae, circiter *unum* crassae per fracturam transversam exhibent circiter octo fasciculos vasorum acute circumscriptos in tela subviridi, farinosa; quorum majorem numerum truncus ipse praebet. Rhizoma Filicis saporis est subdulcis, paullum acerbi, acris, odoris levis. Quotannis renovetur.

Rhizoma Galangae.

Frusta e rubro fusca, cylindrata rhizomatis solide lignosi, quod offert **Alpinia officinarum**; constant ex membris geniculatis, ad *centimetros septem* longis, saepe paullum tuberose ad crassitudinem *centimetrorum duorum* ampliatis, quae, sectionibus duabus ad quattuor aspere fibratis terminata, rarius caulium reliquiis instructa sunt; stigmata foliorum caulem circumstantia clare fimbriata sunt. Major pars sectionis transversae fuscae ad corticem pertinet, quippe cujus latitudo diametrum cylindri e fasciculis vasorum formati coloris paullulum obscurioris superet. Rhizoma Galangae et odoris et saporis est valde aromatici.

Rhizoma Graminis.

Rhizoma stramineum, quod offert **Triticum repens**, concisum. Frusta ad *centimetrum dimidium* longa, *millimetros tres* crassa, nitide e flavo pallentia, angulata orbem exhibent, qui fasciculos vasorum complectitur, angustum, cavum, tela corticis Amylo carente circumdatum. Rhizoma Graminis saporis est subdulcis.

Rhizoma Imperatoriae.

Rhizoma ramosum, e griseo fuscum, subtuberosum, quod offert **Imperatoria Ostruthium.** Truncus primarius ad *decimetrum unum* longus, *centimetrum unum et dimidium* latus, multipliciter annulatus, verrucosus mittit radicellas minores et stolones lignosos, ad *millimetros*

quinque crassos. Annulus lignosus, *millimetrum* circiter *unum* latus, subflavus, qui medullam latam includit, circumdatur cortice radiato, in sectione transversa trunci primarii duntaxat paullo latiore. Praesertim tela medullosa crebris receptaculis balsamiferis praedita est. Rhizoma Imperatoriae et odoris et saporis est fortissimi, specialiter aromatici.

Rhizoma Iridis.

Rhizomata, quae offerunt **Iris Germanica, Iris pallida, Iris Florentina,** caulibus, foliis, radicibus, strato exteriore liberata. Constant ex tribus ad quinque innovationibus constrictione sejunctis, aut simplici ordine dispositis aut furcillate ramosis, stigmate caulis profundo terminatis. Rhizomata alba, ad *centimetros quindecim* longa, *quattuor* crassa, sunt crasse annulata, subtus eis locis, unde radices exeunt, punctis fuscis distincta. Cortex in sectione transversa *millimetros duo* latus endodermide tenui sejungitur a cylindro e subflavo pallescente, qui fasciculos vasorum continet. Rhizoma Iridis odoris est violacei, saporis haud ita aromatici, subacris.

Rhizoma Tormentillae.

Rhizoma gibbo-tuberosum, fuscum, ad *centimetros octo* longum, ad *centimetros duo et dimidium* crassum, quod offert **Potentilla Tormentilla,** maximam partem radicibus longis, *millimetros duo* aut supra crassis liberatum. Tela dura, lignosa, e rubro fusca fasciculis lignosis solidissimis, albis trajecta est. Rhizoma Tor-

mentillae odoris est expers; cum Aquae *pondere quadragies* tanto majore commixtum praebet liquorem fuscum saporis acerbi, qui, exiguo Ferro sulfurico addito, colorem e caeruleo nigrum trahit; affusa Aqua Calcariae, sedimentum intense violaceum oritur.

Rhizoma Veratri.

Rhizoma intense fuscum, erectum, ad *centimetros octo* longum, ad *millimetros viginti quinque* crassum, quod offert **Veratrum album**, cum radicibus flavidis, *decimetros* summum *tres* longis et *millimetros* circiter *tres* crassis. Sectione rhizomatis e transverso facta, haud procul a superficie apparet endodermis subtilis, subfusca, dentata, qua circumdatur tela solida, albida, multo Amylo praedita. Haec multis brevibus fasciculis vasorum inaequaliter diffluentibus trajecta est. Et rhizoma et radices saporis sunt continenter acris et amari.

Caute servetur.

Rhizoma Zedoariae.

Rhizomatis tuberosi, quod offert **Curcuma Zedoaria**, disci transversi aut quadrantes longitudinales; illi priores *centimetros* circiter *quattuor* diametro *et centimetrum unum* crassitudine aequant. Cortex coloris subgrisei, *millimetros* dumtaxat *quinque* latus, haud arcte cohaeret cum cylindro, qui fasciculos vasorum continet, saepe paullo clariore, non flavo, endodermide argute terminato, paullum depresso. Rhizoma Zedoariae et odoris et saporis est Camphorae similis ejusdemque amari

Rhizoma Zingiberis.

Rhizoma palmate ramosum, a lateribus compressum, *centimetros duos* latum, quod offert **Zingiber officinale,** strato subereo griseo non liberatum nisi in lateribus plerumque tuberose convexis, ceteris locis per longitudinem rugosum rarisque annulis ornatum. Fractura transversa granulosa praebet multa receptacula oleifera fusca, aequabiliter inspersa telae griseae corticis *millimetrum* dumtaxat *unum* lati, et cylindri e fasciculis vasorum formati, qui in sectione transversa ellipticus et ad *centimetros duo et dimidium* latus est. Rhizoma Zingiberis aromatis fortissimi est.

Rotulae Menthae piperitae.

Rotularum Sacchari *partes ducentae* 200
Olei Menthae piperitae *parte una* ..... 1.
in
Spiritus *partibus duabus* 2
soluta, humectantur.

Saccharum.

Frusta crystallina alba vel pulvis crystallinus albus. Saccharum, cum *pondere dimidio* Aquae commixtum, sine ullo residuo syrupum efficiat et coloris et odoris expertem, saporis pure dulcis, qui quavis proportione limpide cum Spiritu misceri possit. Solutiones Sacchari aquosae aut spirituosae chartam exploratoriam ne mutent. Solutio aquosa (1 = 20) Argento nitrico aut Baryo nitrico vix turbetur.

Saccharum Lactis.

Crystalla albida vel pulvis crystallinus albus, calore 15° in *partibus septem*, calore 100° in *pondere aequali* Aquae ad liquorem saporis leviter dulcis, syrupo haud similem solubilis. Si Sacchari Lactis *grammata 0,2* ad solutionem ebullientem, ex *grammatis quaternis* Natrii carbonici et Aquae compositam, addideris, liquor colorem flavum ducit. Bismuti subnitrici *grammata 0,2* insuper addita nigrescunt, si ebullitio per insequentem partem horae duodecimam continuata erit. In mixtione fervida, ex *grammatis quattuor* Liquoris Plumbi subacetici et *duobus* Liquoris Ammonii caustici composita, additis Sacchari Lactis *grammatis 0,2*, sedimentum subsidat coloris pure albi, non rubri. Acidi sulfurici *gramma unum* plane dilatatum, si Sacchari Lactis *grammatis 0,2* consperseris, hora interjecta, color aut nullus oriatur aut dumtaxat subruber, non e fusco niger.

Sal Carolinum factitium.

Natrii sulfurici sicci *partes quadraginta quattuor* **44,**
Kalii sulfurici *partes duas* **2,**
Natrii chlorati *partes octo et decem* **18,**
Natrii bicarbonici *partes triginta sex* **36**
in pulverem subtilem redactas misce.

Pulvis albus, siccus.

Salis *grammata sex*, in Aquae *litra una* soluta, Aquam Carolinae similem efficiunt.

Santoninum.

Tabulae crystallinae coloris expertes, amarae, calore 170° liquescentes, quae luci objectae colorem flavum ducunt. Ad Santoninum solvendum Aquae *quinque milibus partium* opus est, Spiritus *partibus quadraginta quattuor*, Chloroformii *partibus quattuor*. Santonini *partes quinque*, cum Natrii carbonici *partibus quattuor*, Spiritus *partibus sexaginta*, Aquae *partibus viginti* continenter coctae, colorem trahunt alternis vicibus rubrum et flavum.

Santonino cum Aquae *partibus centum* et Acidi sulfurici diluti *partibus quinque* cocto, si diutius refrigeraveris, liquor filtratus, qui saporis haud amari est, *aliquot guttis* Solutionis Kalii chromici additis, sedimentum ne demittat.

Caute, a luce remotum, servetur.

Dosis maxima singula 0,1.
Dosis maxima pro die 0,3.

Sapo jalapinus.

Resinae Jalapae *partes quattuor* 4
et
Saponis medicati *partes quattuor* 4,
in
Spiritus diluti *partibus octo* 8
solutas, in balneo vaporis continenter agitans adeo evapora, ut efficiantur
Partes novem ..... 9.

Sit coloris e fusco flavi, in Spiritu solubilis. Additis

partibus duabus vel *tribus* Aquae, solutionem turbidam, *partibus decem* ad *viginti*, solutionem paene limpidam efficiat, ex qua resina secedat nulla.

Sapo kalinus.

Liquoris Kali caustici *partibus centum triginta quinque* **135**
Olei Lini *partes centum* **100**
in balneo aquae paullatim additas per semihoram continenter agitans caleface. Quo facto
Spiritus *partibus viginti quinque* **25**
et, simulatque massa aequalis facta erit,
Aquae *partibus ducentis* **200**
paullatim affusis, fervefacere perge, donec effectum erit viscum saponis pellucidum, in Aqua fervida, nullo oleo secedente, solubile. Quod in balneo vaporis agitans evapora, donec Spiritus aufugerit et pondus saponis confecti sit
Partium centum quinquaginta ..... **150.**

Massa e subfusco flava, pellucida, mollis, lubrica, odoris exigui, haud nauseosi, granulis admixtis libera, et in Aqua et in Spiritu solubilis.

Hic sapo semper dispensetur, nisi Sapo kalinus venalis diserte praescriptus erit.

Sapo kalinus venalis.

Sapo medicatus.

Liquoris Natri caustici *partibus centum viginti* **120**
in balneo aquae fervefactis paullatim adde
Adipis suilli *partes quinquaginta* **50**
et
Olei Olivarum *partes quinquaginta* **50**
antea colliquefaciendo mixtas, tum per semihoram ita ferveface, ut agites.
Quo facto
Spiritus *partibus duodecim* **12**
et, simulatque massa aequalis facta erit,
Aquae *partibus ducentis* **200**
paullatim affusis, si opus fuerit, *exiguas partes* Liquoris Natri caustici adjiciens, ferveſacere perge, donec effectum erit viscum saponis pellucidum, in Aqua fervida ita solubile, ut nihil pingue secedat.
Jam liquorem, qui constat ex
Natrii chlorati *partibus viginti quinque* **25**
et
Natrii carbonici crudi *partibus tribus* **3,**
in
Aquae *partibus octoginta* **80**
solutis, postquam filtraveris, adde et agitans porro ferveface, donec sapo prorsus secesserit.

Saponem, a lixivio separatum, identidem exigua

Aqua ablue, tum caute, sed vehementer expressum atque in frusta concisum loco tepido sicca.

Sit albus, haud rancidus, et in Aqua et in Spiritu solubilis.

Hae solutiones Aqua hydrosulfurata ne mutentur neve, addito Hydrargyro bichlorato, sedimentum coloratum demittant.

Saturationes.

Quotiescunque saturatio ita praescripta erit, ut, ex quibus partibus eam componi oporteat, non indicetur, Potio Riveri dispensanda est.

Sebum ovile.

Sebum, quod praebet **Ovis Aries**, album, solidum, calore circiter 47° limpide liquescens, odoris specialis, haud rancidi. Si Sebi *partem unam* cum *parte una* Spiritus calefactam conquassaveris, liquor, refrigeratione confecta, limpide decanthatus, *parte aequali* Aquae addita, limpidus maneat neque chartam exploratoriam mutet. In *pondere duplici* Benzini Petrolei Sebum lente solvitur, sed, solutione in vase clauso diutius seposita, maximam partem in crystalla secedit.

Secale cornutum.

Fungus, cui nomen est **Claviceps purpurea**, eo tempore, quo ex incrementis capiendis requiescit, collectus,

forma rotundate triangulari, saepe curvata, *millimetros* summum *quadraginta* longus, *sex* crassus. Cujus latera intense violacea vel nigra, infima parte clariora, saepe desidentia plerumque discissa dehiscunt usque in telam interiorem, albam vel subrubram, quae est saporis mollis et juncturae solidae. Secale cornutum pulveratum, si *partibus decem* Aquae fervidae superfuderis, odorem sibi proprium, neque ammoniacalem nec rancidum, exhalet. Idem pulveratum ne adhibeatur nisi Aethere prorsus exhaustum.

Dosis maxima singula 1,0.
Dosis maxima pro die 5,0.

Semen Colchici.

Semina, quae offert **Colchicum autumnale**, maxime *trium millimetrorum*, delicatissimis punctis distincta, prope globosa, toro umbilici paullum acuminata. Testa dura, fusca albumen radiatum, griseum conjunctim cum embryone perexiguo amplectitur. Semina sunt saporis peramari.

Caute servetur.

Semen Faenugraeci.

Semina, quae offert **Trigonella Faenum Graecum**, e griseo flavida vel subfusca, plane rhombica vel inaequaliter rotundata, *millimetros tres* ad *quinque* longa, ad *duo* crassa, quae sulco saepe propemodum diagonali

in duas partes impares divisa sunt. Quarum in minore latet radicula embryonis flavi crassa, in planitiem cotyledonum in eorumque margines sursum curvata; qui embryo, Aqua mollitus, ex membrana coloris experti, solida, pituitosa et testa tenui, tenaci, coloris flavidi exsolvi potest. Quae telae omnes Amylo carent. Semen Faenugraeci est saporis proprii, insuavis, ejusdemque saepe subamari, et odoris maxime specialis.

Semen Lini.

Semen, quod offert **Linum usitatissimum.** Latera convexa testae fuscae vel flavidae, nitidae, tenuis sunt forma ovata, *millimetros quattuor* ad *sex* longa, obtuse umbilicata. Tela alba vel paullulum subviridis et albuminis et embryonis Seminis Lini Amylo caret, saporis est mitis, oleacei, haud rancidi.

Semen Myristicae.

Nuclei seminis, quos offert **Myristica fragrans,** forma obtuse ovata vel propemodum globosa; *centimetros* circiter *tres* longitudine, *centimetros* summum *duo* diametro aequant. Pars paullo minus convexa superficiei, quae est subfusca et pulvere clare griseo conspersa et rugosa, sulco tenui trajici solet. Sectio, striis fuscis in telam albidam, farinosam penetrantibus, inaequaliter lacunata vel maculata est. Et odoris et saporis aromatici est.

Semen Papaveris.

Semina, quae offert **Papaver somniferum**, sunt albida, reniformia, *millimetrum unum* longa, lateribus alte convexis, delicate et reticulate nervatis. Testa tenuis, tenax includit albuminis et embryonis telam albam, Amyli expertem, quae saporis est mite oleosi.

Semen Sinapis.

Semina, quae offert **Brassica nigra**. Per testam tenuem, furfuream coloris fusci, saepe grisei licet cognoscere radiculam, in sulcum cotyledonum plicatarum sursum curvatam. Semina delicate reticulata, foveata sunt propemodum globosa, *millimetri unius* diametro. Manducata saporis sunt primo mite oleacei, paullum subacidi, deinde vero ustulantis, acris. Haec acritas fortiter exhalatur emulsione flavida reactionis acidae, quae Seminibus Sinapis cum Aqua tritis efficitur. Semen pulveratum si cum *pondere* Aquae *quinquagies* tanto majore coxeris, id quod filtratum erit, refrigeratum, Aqua jodata addita, ne caeruleum colorem ducat.

Semen Strychni.

Semina disciformia saepe recurvata, quae offert **Strychnos Nux vomica**; *millimetros viginti quinque* diametro et summum *quinque* crassitudine aequant; pilis mollibus, nitidis, e griseo flavis, interdum e viridi micantibus consita sunt. Semina, Aqua mollita, secundum lineam marginalem saepe subacutam in partes

geminas albuminis cornei, Amylo carentis dividi possunt, quae duas tenues cotyledones *millimetros quinque* longas et radiculam clavatam includunt. Semina Strychni sunt saporis amarissimi.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 0,1.
Dosis maxima pro die 0,2.

Species.

Substantiae, quae ad Species parandas adhibeantur, concidendo vel raspando vel contundendo quam maxime aequaliter comminuendae sunt. Pulvis subtilior comminuendo coortus removeatur.

In Speciebus miscendis, ex quibus Infusa vel Decocta parentur, cribra fenestellis *millimetros quattuor* ad *sex* latis instructa adhibeantur; eas autem, quae ad replendos pulvinos medicamentosos usui sunt, ope cribrorum fenestellis *millimetros duos* ad *tres* latis instructorum succernere velis. Ad cataplasmata paranda Species ad pulverem grossum redigendae sunt.

Species aromaticae.

Foliorum Menthae piperitae *partes duas* 2,
Herbae Serpylli *partes duas* 2,
Herbae Thymi *partes duas* 2,
Florum Lavandulae *partes duas* 2,
Caryophyllorum *partem unam* 1,
Cubebarum *partem unam* 1

misce.

Species emollientes.

Foliorum Althaeae *partem unam* 1,
Foliorum Malvae *partem unam* 1,
Herbae Meliloti *partem unam* 1,
Florum Chamomillae *partem unam* 1,
Seminis Lini *partem unam* 1
ad pulverem crassum contusas misce.

Species laxantes.

Foliorum Sennae *partes sedecim* 16,
Florum Sambuci *partes decem* 10,
Fructuum Foeniculi *partes quinque* 5,
Fructuum Anisi *partes quinque* 5,
Tartari depurati *partes quattuor* . . . . . 4.
Primum Folia Sennae concisa humefacte, tum Tartaro depurato quam maxime aequaliter conspersa misce. Quibus resiccatis reliqua adjice.

Species Lignorum.

Ligni Guajaci *partes quinque* 5,
Radicis Ononidis *partes tres* 3,
Radicis Liquiritiae mundatae *partem unam* 1,
Ligni Sassafras *partem unam* 1
misce.

Species pectorales.

Radicis Althaeae *partes octo* ..... 8.
Radicis Liquiritiae mundatae *partes tres*..... 3.
Rhizomatis Iridis *partem unam*..... 1.
Foliorum Farfarae *partes quattuor* 4,
Florum Verbasci *partes duas* 2,
Fructuum Anisi *partes duas*..... 2
misce.

Spiritus.

Liquor coloris expers, limpidus, volatilis, ad exardescendum facilis, flamma paullum lucente ardens, neutralis, odoris specialis, saporis ustulantis.

Cujus pondus specificum sit 0,830 ad 0,834, quod in *centum partibus* respondet Alcoholis *partibus* mensura dimensis *91,2* ad *90,0*, trutina dimensis *87,2* ad *85,6*.

Spiritum cum Aqua quavis proportione ita misceri posse oportet, ut turbatio non fiat. *Grammatis quinquaginta*, quibus *guttas decem* Liquoris Kali caustici adjeceris, ad *grammata* circiter *quinque* evaporatis, id, quod restiterit, Acido sulfurico diluto in excessu saturatum, ne odorem exhalet olei foetidi, quod lingua Germanica Fuseloel vocatur. *Voluminibus aequalibus* Acidi sulfurici et Spiritus in tubo exploratorio per strata caute disjunctis, zona intermedia coloris rosei ne oriatur. *Grammatis decem* Spiritus cum *guttis viginti* Liquoris Kalii permanganici volumetrici commixtis, liquoris color ruber ne abeat in flavum nisi longiore temporis spatio (tertia

parte horae) interjecto. Spiritus ne coloretur Aqua hydrosulfurata aut Liquore Ammonii caustici, neve exhalatus residuum relinquat.

Spiritus aethereus.

Aetheris *partem unam* 1
cum
Spiritus *partibus tribus* 3
misce.

Sit limpidus, coloris expers, neutralis, plane volatilis; ponderis specifici 0,807 ad 0,811. In vase vitreo in gradus subdiviso cum *volumine aequali* Liquoris Kalii acetici conquassatus, Spiritus aethereus *volumen* suum *dimidium* liquoris aetherei emittat.

Spiritus Aetheris nitrosi.

Spiritus *partes quadraginta octo* 48
et
Acidi nitrici *partes duodecim* 12
inter se mixtas per duodecim horas sepone, tum in retortam vitream infusas destilla, donec *partes quadraginta* transierint, quae Magnesia usta neutralisatae, horis viginti quattuor circumactis, ex balneo aquae rectificentur.

Liquor limpidus, coloris expers vel subflavescens, odoris suavis aetherei, saporis subdulcis, ustulantis, plane volatilis, ponderis specifici 0,840 ad 0,850;

Aqua limpide miscetur. Quo liquore cum solutione concentrata Ferri chlorati, quam recenter paraveris, mixto, liquor coloris e nigro fusci nascitur.

Grammata decem, guttis tribus Liquoris Kalii hydrici volumetrici additis, reactionem acidam ne praebeant.

Aliquot crystallis Kalii tartarici superimpositus servetur.

Spiritus Angelicae compositus.

Radicis Angelicae concisae *partes sedecim* **16,**
Radicis Valerianae concisae *partes quattuor* .. **4,**
Fructuum Juniperi contusorum *partes quattuor* **4,**
additis
Spiritus *partibus septuaginta quinque* **75**
et
Aquae *partibus centum viginti quinque* **125,**
per horas viginti quattuor macera. Quibus mixtis, destillando abstrahe
Partes centum ..... **100.**
In his denique solve
Camphorae *partes duas* ..... **2.**

Liquor limpidus, coloris expers. Ponderis specifici 0,890 ad 0,900.

Spiritus camphoratus.

Camphorae *partem unam* **1,**
Spiritus *partes septem* ..... **7.**
Aquae *partes duas* ..... **2.**

Camphorae in Spiritu ita solutae, ut non calefacias, Aquam adde.

Liquor limpidus, coloris expers, Camphoram atque Spiritum vehementer et redolens et resipiens, ex quo Camphora Aquae ope flocculose praecipitatur. Ponderis specifici 0,885 ad 0,889.

Spiritus Cochleariae.

Herbae Cochleariae *partes octo* . . . . . 8.
Spiritus *partes tres* . . . . . 3.
Aquae *partes tres* . . . . . 3.

Herbam recentem et florescentem concisam, adjectis Spiritu et Aqua, destilla, donec *partes quattuor* abstraxeris.

Liquor coloris expers, limpidus, odoris specialis, saporis ustulantis, acris, ponderis specifici 0,908 ad 0,918.

Grammate 0,1 Plumbi acetici in Aquae *centimetris cubicis quinque* soluto et cum *centimetris cubicis quinque* Spiritus Cochleariae commixto, si tantum Liquoris Kali caustici adjeceris, ut Plumbum primo praecipitatum resolvatur, haec mixtio, usque ad ebullitionem fervefacta, colorem obscurum ducat et paullo post sedimentum nigrum demittat.

Spiritus dilutus.

Spiritus *partes septem* 7
cum
Aquae *partibus tribus* 3

misce, quae mixtio *partes* Alcoholis mensura dimensas *67,5* ad *69,1*, trutina dimensas *59,8* ad *61,5* in *partibus centum* continet. Sit limpida, coloris expers, ponderis specifici 0,892 ad 0,896.

Spiritus Formicarum.

Spiritus *partes septuaginta* **70,**
Aquae *partes viginti sex* **26,**
Acidi formicici *partes quattuor* **4**
misce.

Liquor coloris expers, limpidus, reactionis acidae, qui, addito Liquore Plumbi subacetici, crystalla alba, plumosa Plumbi formicici demittit et ex solutione calefacta Argenti nitrici Argentum metallicum praecipitat. Ponderis specifici 0,894 ad 0,898.

Spiritus Juniperi.

Fructuum Juniperi *partes quinque* **5,**
Spiritus *partes quindecim* **15,**
Aquae *partes quindecim* . . . . . **15.**

Fructus Juniperi contritos Spiritu et Aqua per horas viginti quattuor macera, deinde *partes viginti* destillando abstrahe.

Liquor limpidus, coloris expers, ea, ex quibus constat, et redolens et resipiens. Ponderis specifici 0,895 ad 0,905.

Spiritus Lavandulae.

Florum Lavandulae *partes quinque* **5,**
Spiritus *partes quindecim* **15,**
Aquae *partes quindecim* **15**
per horas viginti quattuor macera, tum destillando abstrahe
Partes viginti ..... **20.**

Liquor limpidus, coloris expers, odoris suavis Florum Lavandulae. Ponderis specifici 0,895 ad 0,905.

Spiritus Melissae compositus.

Foliorum Melissae *partes quattuordecim* **14,**
Corticis Fructus Citri *partes duodecim* **12,**
Seminis Myristicae *partes sex* **6,**
Corticis Cinnamomi *partes tres* **3,**
Caryophyllorum *partes tres* **3**
concisas vel contusas superfunde
Spiritus *partibus centum quinquaginta* **150**
et
Aquae *partibus ducentis quinquaginta* ..... **250.**
Quo facto destillando inde abstrahe
Partes ducentas ..... **200.**

Liquor limpidus, coloris expers, et odoris et saporis aromatici. Ponderis specifici 0,900 ad 0,910.

Spiritus Menthae piperitae.

Olei Menthae piperitae *partem unam* 1
in
Spiritus *partibus novem* 9
solve.

Liquor limpidus, coloris expers, et odoris et saporis fortis Menthae piperitae. Ponderis specifici 0,836 ad 0,840.

Spiritus saponatus.

Olei Olivarum *partes sexaginta* 60,
Liquoris Kali caustici *partes septuaginta* 70,
Spiritus *partes trecentas* 300,
Aquae *partes centum septuaginta* . . . . . 170.

Oleum cum Liquore Kali caustici et *quadrante copiae* Spiritus praescriptae in balneo aquae continenter ebulliat, dum liquor saponatus factus erit, cujus portiuncula cum Aqua et Spiritu commixta non turbetur. Jam ea Spiritus quantitate, quae evaporando perierit, restituta, postquam *tres* reliquas ejus *partes* nec non Aquam affuderis, mixtionem refrigeratam filtra.

Liquor limpidus, coloris flavi, reactionis alcalinae, qui cum Aqua conquassatus vehementer spumat. Ponderis specifici 0,925 ad 0,935.

Spiritus Sinapis.

Olei aetherei Sinapis *partem unam* 1
in
Spiritus *partibus quadraginta novem* 49
solve.

Liquor limpidus, coloris expers, Oleum Sinapis redolens. Ponderis specifici 0,833 ad 0,837.

Spiritus Vini Cognac.

Liquor, qui destillando ex vino paratur, limpidus, coloris flavi, odoris et saporis suavis, spirituosi. Spiritus, inde destillando effectus, oleo foetido, quod lingua Germanica Fuseloel dicitur, careat neque acidus sit. Ponderis specifici 0,920 ad 0,924. In *centum partibus* sint Alcoholis *partes quadraginta sex* ad *quinquaginta* trutina dimensae.

Stibium sulfuratum aurantiacum.

Pulvis subtilis, aurantiacus, odoris expers; quo in tubo vitreo fervefacto, Sulfur sublimatur, Stibio sulfurato nigro remanente.

Stibio sulfurato aurantiaco cum *partibus viginti* Aquae conquassato, id, quod filtrando effeceris, Argento nitrico ne mutetur. In Liquoris Ammonii caustici *partibus ducentis* Stibium sulfuratum aurantiacum leni calore ita solvatur, ut non multum residui relinquat; in Liquore Ammonii sulfurati facile solvatur. Sedimentum, quod

ex hac solutione, Acido hydrochlorico acidulata, effeceris et identidem Aqua elueris, non siccatum cum *copia decemplici* solutionis Ammonii carbonici (1 = 20) conquassetur. Id, quod statim filtrando effeceris, Acido hydrochlorico acidulatum, quin etiam Aqua hydrosulfurata addita, ne flavescat.

A luce remotum servetur.

Stibium sulfuratum nigrum.

Frusta e griseo nigra, radiate crystallina, ponderis specifici 4,6 ad 4,7.

Pulveratum, si cum *partibus decem* Acidi hydrochlorici coxeris, Hydrogenio sulfurato secedente, ita solvatur, ut residui ex *centum partibus* relinquat *dimidiam.*

Strychninum nitricum.

Acus crystallinae, coloris expertes, peramarae; solvuntur in Aquae frigidae *partibus nonaginta*, in Aquae ebullientis *tribus*, neque non in Spiritus frigidi *partibus septuaginta*, ebullientis *quinque*. Frustulum Strychnini nitrici, in Acidum hydrochloricum ebulliens immersum, huic colorem continenter rubrum inducit.

Strychninum nitricum, cum Acido nitrico contritum, colorem trahat subflavum neque vero rubrum. Idem Acido sulfurico non coloratur. Ex solutione aquosa saturata Strychnini nitrici Kalio chromico crystallula

coloris e rubro flavi praecipitantur, quae, Acido sulfurico admoto, colorem caeruleum ad violaceum ducunt.

Cautissime servetur.

Dosis maxima singula 0,01.
Dosis maxima pro die 0,02.

Styrax liquidus.

Massa e cortice interiore, quem offert **Liquidambar orientalis**, coquendo et exprimendo parata; est glutinosa, spathula dumtaxat lente defluens, odorata, coloris grisei. Styrax Aquae injectus in ipso calore desidit, nihil nisi guttulas rarissimas, coloris expertes sursum emittens.

Styracis *partes centum*, in Spiritus *partibus centum* calore solutae, liquorem praestant turbidum, coloris e griseo fusci, reactionis acidae. Qui refrigeratus et a sordibus defiltratus, si evaporaveris, ne minus quam *partes septuaginta* residui fusci, semiliquidi praebeat, in quo crystalla non nascantur nisi longo temporis spatio interjecto. Hoc residuum, paucis flocculis remanentibus, solvitur in Aethere et in Carboneo sulfurato, in Benzino Petrolei non item.

Styrax, antequam adhibeatur, in *pondere* suo *dimidio* Benzoli solutus filtrando et evaporando depurandus est.

Succus Juniperi inspissatus.

Fructuum Juniperi recentium *partem unam* ... **1**
contusam
Aquae fervidae *partibus quattuor* **4**

superfunde. Quas in duodecim horas ita sepositas, ut identidem agites, exprime. Colaturam evaporando ad spissitudinem Extracti **tenuis** redige.

Sit perfuscus, saporis dulciter aromatici, haud empyreumatici; in Aquae *parte aequali* haud limpide solubilis. Bacillum ferreum nitidum, quod in hanc solutionem Acido hydrochlorico antea acidulatam immerseris, intra semihoram cuticula cuprea ne obducatur.

Succus Liquiritiae.

Extractum e radicibus, quas offert **Glycyrrhiza glabra**, coquendo exprimendoque paratum et in formam perticularum vel massarum nitide nigrarum saporis dulcissimi redactum. Cujus *partes centum*, calore 100° siccatae, ne minus quam *octoginta tres partes* relinquant. Succum Liquiritiae aëre siccatum si Aqua calorem 50° non superante identidem exhauseris, id, quod restiterit, in balneo aquae desiccatum, in *centum partibus viginti quinque* ne excedat. Idem microscopii ope contemplanti ne grana Amyli in conspectum det.

Succus Liquiritiae depuratus.

Succo Liquiritiae frigore extrahendo et liquore limpido evaporando paretur.

Sit Extractum **spissum** fuscum, in Aqua limpide solubile.

Sulfur depuratum.

Sulfuris sublimati per cribrum transjecti *partes centum* **100**

cum

Aquae *partibus septuaginta* **70**

et

Liquoris Ammonii caustici *partibus decem* .. **10**

contere. Quam mixtionem saepius permiscens in unum diem sepone, tum prorsus elutam et siccatam per cribrum trajice.

Pulvis flavus, siccus, et odoris et saporis expers.

Sulfur depuratum, si fervefeceris, ita deflagrat, ut residuum exiguum relinquat, in Liquore Natri caustici calefactum solvitur. Idem, si Aqua humectaveris, chartam exploratoriam caeruleam ne rubicet; Liquoris Ammonii caustici *partibus viginti* digestum, si filtraveris, praebeat liquorem, qui Acido hydrochlorico acidulatus colorem flavum non trahat, ne Aqua hydrosulfurata quidem addita.

Sulfur praecipitatum.

Pulvis subtilis, coloris e subflavo albi, non crystallinus, in vase non tecto calefactus nullo residuo deflagrans. Sulfur praecipitatum, si Aqua humectaveris, chartam exploratoriam caeruleam ne rubicet; Liquoris Ammonii caustici *partibus viginti* digestum, si filtraveris, praebeat liquorem, qui Acido hydrochlorico acidulatus non ducat colorem flavum, ne Aqua hydrosulfurata quidem addita.

Sulfur sublimatum.

Fervefactum residui ne plus quam *unam* ex *centum partibus* relinquat.

Summitates Sabinae.

Summitates, quas offert **Juniperus Sabina** agrestis aut culta, squamose involutae tribus vel quattuor ordinibus foliolorum appressorum et obtusorum aut paullulum patentium et acuminatorum, ad *millimetros tres* longorum, quae in tergo sulco oleifero instructa sunt. Baccae intense caeruleae vel e fusco griseae, inaequaliter corrugatae, *millimetrorum* circiter *quinque* diametro, saepissime bina semina continent. His fructibus, quos interdum Summitatibus admixtos reperias, vel magis quam foliolis aroma illud proprium est, quod haec maxime exhalare dicuntur.

Caute serventur.

Dosis maxima singula 1,0.
Dosis maxima pro die 2,0.

Syrupi.

Syrupi, nisi aliud praescriptum erit, eo modo parandi sunt, ut Saccharum ea, quae indicata erit, proportione in Aqua vel aliis liquoribus, quibus opus erit, leni calore solvas, deinde Syrupum semel ad ebullitionem fervefacias.

Antequam Syrupum coles vel filtres, tantum Aquae adde, quantum sufficiat, ut fiat pondus, quod in quoque Syrupo parando propositum est.

Syrupus unusquisque, excepto Syrupo Amygdalarum, limpidus sit.

Syrupus Althaeae.

Radicis Althaeae concisae *partes decem* **10,**
Aqua ablutas, deinde
Spiritus *partibus quinque* **5**
et
Aquae *partibus ducentis quinquaginta* **250**
superfusas, saepius agitando per tres horas macera, tum cola expressione non adhibita.
In cujus colaturae
Partibus ducentis **200**
solve
Sacchari *partes trecentas* **300,**
ut fiant
Syrupi *partes quingentae* ..... **500.**

Sit paullum flavidus.

Syrupus Amygdalarum.

Amygdalarum dulcium *partes quinquaginta* .. **50**
et
Amygdalarum amararum *partes decem* **10,**
decorticatas et elutas,

Aquae *partibus centum viginti* **120**
additis, ita contunde, ut fiat emulsio.
In colaturae
Partibus centum triginta **130**
semel ad ebullitionem coquendo solve
Sacchari *partes ducentas* **200,**
quibus adde
Aquae Florum Aurantii *partes decem* **10,**
ut sint
Syrupi *partes trecentae quadraginta* ..... **340.**
Sit albidus.

Syrupus Aurantii Corticis.

Corticis Fructus Aurantii concisi *partes quinque* **5**
macera per biduum
Vini generosi albi *partibus quadraginta quinque* **45.**
Cujus colaturae
Partes quadraginta **40,**
additis
Sacchari *partibus sexaginta* **60,**
praebeant
Syrupi *partes centum* **100,**
quas refrigeratas filtra.
Sit e subflavo fuscus.

Syrupus Aurantii Florum.

Sacchari *partibus sexaginta* **60**
cum circiter
Aquae *partibus viginti* **20**
ad ebullitionem ferveface; quae solutio refrigerata, additis
Aquae Florum Aurantii *partibus viginti* **20,**
praebeat
Syrupi *partes centum* **100,**
quae filtrandae sunt.

Sit coloris expers.

Syrupus Cerasorum.

Cerasa acida nigra cum nucleis contusa in vase tecto calore circiter 20° saepius agitans sepone, quoad portiuncula, quam filtrando exceperis, cum *volumine dimidio* Spiritus mixta non turbetur. Liquoris, quem exprimendo effeceris, filtrati

Partes triginta quinque **35,**
Sacchari *partibus sexaginta quinque* **65**
temperatae,
Syrupi *partes centum* **100**
praebeant.

Sit intense purpureus.

Syrupus Cinnamomi.

Corticis Cinnamomi crasse pulverati *partes decem* **10**
per biduum
Aquae Cinnamomi *partibus quinquaginta* **50**
macera.
Colaturae filtratae *partes quadraginta* **40,**
Sacchari *partibus sexaginta* **60**
admixtis,
Syrupi *partes centum* **100**
praebeant, quas refrigeratas filtra.
Sit limpidus, e subrubro fuscus.

Syrupus Ferri jodati.

Ferri pulverati *partibus viginti* **20,**
Aquae *partibus trecentis* **300**
superfusis, paullatim adde
Jodi *partes quadraginta unam* **41;**
tum saepius agitando leni calore para solutionem, quae in
Sacchari *partes sexcentas quinquaginta* **650,**
in patinam porcellanicam immissas, filtretur.
Jam semel ad ebullitionem fervefaciendo efficiantur
Syrupi *partes mille* . . . . . **1000.**
Sit primo coloris paene expers, deinde subflavus.
Syrupi *partes centum* Ferri jodati *quinque* continent.

Syrupus Ferri oxydati solubilis.

Ferri oxydati saccharati solubilis,
Aquae,
Syrupi simplicis
singulorum *partes aequales* misce.

Sit intense e rubro fuscus.

Partes centum Syrupi *partem unam* Ferri continent.

Syrupus Ipecacuanhae.

Radicis Ipecacuanhae contusae *partem unam* **1**
macera per biduum
Spiritus diluti *partibus quinque* **5**
et
Aquae *partibus quadraginta* . . . . . **40.**
Colaturae filtratae *partes quadraginta* **40,**
additis
Sacchari *partibus sexaginta* **60,**
Syrupi *partes centum* **100**
praebeant, quae refrigeratae filtrentur.

Sit flavidus.

Syrupus Liquiritiae.

Radicis Liquiritiae mundatae concisae *partes viginti* **20**
Liquoris Ammonii caustici *partibus decem* . . . **10**
et

Aquae *partibus centum* **100**
per horas duodecim macera. Liquorem, quem exprimendo effeceris, ad ebullitionem semel fervefactum in balneo vaporis ad
Partes decem **10**
evaporando redige; id, quod restiterit,
Spiritus *partibus decem* **10**
tempera.

Qua mixtione per horas duodecim seposita, liquori, quem filtrando effeceris, tantum Syrupi simplicis adde, ut efficiantur
Partes centum . . . . . **100.**
Sit fuscus.

Syrupus Mannae.

Mannae purae *partes decem* **10,**
in
Aquae *partibus quadraginta* **40**
solutas, filtra; haec solutio filtrata, admixtis
Sacchari *partibus quinquaginta* **50,**
Syrupi *partes centum* **100**
praebeat; quas refrigeratas filtra.
Sit flavidus.

Syrupus Menthae.

Foliorum Menthae piperitae concisorum *partes decem* **10,**
Spiritus *partibus quinque* **5**
humectatas,
Aquae *partibus quinquaginta* **50**
per diem unum macera.
Colaturae, quam mixtione non expressa effeceris,
Partes quadraginta **40,**
additis
Sacchari *partibus sexaginta* **60,**
Syrupi *partes centum* **100**
praebeant, quae refrigeratae filtrentur.
Sit e subviridi fuscus.

Syrupus Papaveris.

Fructuum Papaveris concisorum *partes decem* **10,**
Spiritus *partibus quinque* **5**
humectatas,
Aquae *partibus quinquaginta* **50**
per horam unam in balneo vaporis digere.
Colaturae filtratae *partes triginta quinque* . . . **35,**
additis
Sacchari *partibus sexaginta quinque* **65,**
Syrupi *partes centum* **100**
praebeant, quae refrigeratae filtrentur.
Sit e subfusco flavus.

Syrupus Rhamni catharticae.

Fructus Rhamni catharticae recentes contusos saepius agitans sepone in vase tecto calore circiter 20°, donec portiuncula, quam filtrando exceperis, cum *volumine dimidio* Spiritus mixta non turbetur. Liquoris, quem exprimendo effeceris, filtrati

Partes triginta quinque **35,**
admixtis
Sacchari *partibus sexaginta quinque* **65,**
Syrupi *partes centum* **100**
praebeant.

Sit e violaceo ruber.

Syrupus Rhei.

Radicis Rhei concisae *partes decem* **10,**
Corticis Cinnamomi crasse pulverati *partes duas* **2,**
Kalii carbonici *partem unam* **1**
Aquae *partibus centum* **100**
per horas duodecim macera.
Colaturae expressae et filtratae *partes octoginta* **80**
praebeant, admixtis
Sacchari *partibus centum viginti* **120,**
Syrupi *partes ducentas* ..... **200.**

Sit e fusco ruber.

Syrupus Rubi Idaei.

Fructus Rubi Idaei recentes elisos saepius agitans sepone in vase tecto calore circiter 20°, quoad portiuncula, quam filtrando exceperis, *volumine dimidio* Spiritus mixta non turbetur.

Liquoris, quem exprimendo effeceris, filtrati
Partes triginta quinque **35,**
adjectis
Sacchari *partibus sexaginta quinque* **65,**
Syrupi *partes centum* **100**
praebeant.

Sit ruber.

Syrupus Senegae.

Radicis Senegae concisae *partes quinque* **5**
Spiritus *partibus quinque* **5**
et
Aquae *partibus quadraginta quinque* **45**
per biduum macera.

Colaturae expressae et filtratae *partes quadraginta* **40,**
adjectis
Sacchari *partibus sexaginta* **60,**
Syrupi *partes centum* **100**
praebeant, quae refrigeratae filtrentur.

Sit flavidus.

Syrupus Sennae.

Foliorum Sennae concisorum *partes decem*. 10
et
Fructuum Foeniculi *partem unam*..... 1,
Spiritus *partibus quinque* 5
humectatas,
Aquae *partibus quadraginta quinque* 45
in vase clauso per tertiam partem horae digere. Colaturae, quam, mixtione non expressa, effeceris,
Partes triginta quinque 35,
admixtis
Sacchari *partibus sexaginta quinque*..... 65,
Syrupi *partes centum* 100
praebeant.

Sit fuscus.

Quotiescunque Syrupus Sennae cum Manna praescriptus erit, mixtio ex *partibus aequalibus* Syrupi Sennae et Syrupi Mannae composita dispensanda est.

Syrupus simplex.

Sacchari *partes sexaginta* 60,
additis
Aquae *partibus quadraginta*..... 40,
Syrupi *partes centum* 100
praebeant, quae refrigeratae filtrentur.

Sit coloris expers.

Talcum.

Magnesium silicicum pulveratum. Pulvis crystallinus, albus, tactu unguinosus, ponderis specifici 2,7; in tubulo vitreo candefactus non mutatur.

Tartarus boraxatus.

Boracis *partibus duabus* 2,
in patina porcellanica in
Aquae *partibus viginti* 20
solutis, adjice
Tartari depurati pulverati *partes quinque* 5

Quam mixtionem saepius agitans in balneo vaporis sepone, donec Tartarus depuratus solutus erit. Liquorem, quem filtrando effeceris, leni calore evaporando in massam tenacem redige, quae refrigerata conteri possit. Hanc in taenias extenuatam prorsus exsicca, et, antequam refrixerit, in pulverem redige.

Pulvis albus, amorphus, aëre humescens, et saporis et reactionis acidae, qui in *partibus aequalibus* Aquae solvitur; quae solutio Acido acetico diluto aut *exiguis partibus* Acidi sulfurici diluti non mutatur; eadem Acido tartarico addito post aliquod tempus sedimentum crystallinum demittit. Sal, *aliqua quantitate* Acidi sulfurici humectatum, flammae Spiritus colorem viridem inducit. Fervefactum turgescit, dum vapores Saccharum tostum redolentes emittit, et residuum ad carbonem redactum alcalinum relinquit.

Solutio aquosa (1 = 10) ne Liquore Ammonii sulfurati mutetur, neve, cum Liquore Kali caustici cale-

facta, Ammonium emittat. Eadem ne Ammonio oxalico neve, *aliquot guttis* Acidi nitrici additis, Baryo nitrico praecipitetur; Argento nitrico adjecto, leviter tantummodo opalescat.

Tartarus depuratus.

Pulvis albus, crystallinus, inter dentes stridens, saporis aciduli, in Aquae frigidae *partibus centum nonaginta duabus*, in fervidae *viginti* solubilis, in Spiritu non item. In Liquore Kalii carbonici effervescens nec non in Liquore Natri caustici solvitur. Fervefactus odorem Sacchari tosti exhalans carbonescit ad massam coloris e griseo atri, quae, Aqua affusa, liquorem alcalinum praebet. Qui liquor filtratus, Acido tartarico in excessu addito, effervescens sedimentum demittit crystallinum, in Liquore Natri caustici facile solubile.

Salis *grammata quinque*, cum Aquae *grammatis centum* conquassata, si filtraveris, liquorem praebent, qui, Acido nitrico temperatus, Baryo nitrico non mutetur, et Argento nitrico addito tantummodo leviter opalescat. Sal in Liquore Ammonii caustici solutum, Liquore Ammonii sulfurati ne mutetur. Salis *gramma unum*, quod cum Acidi acetici diluti *grammatis quinque* per semihoram saepius conquassans seposueris et deinde cum Aquae *grammatis viginti quinque* commiscueris, liquor filtrando effectus, additis Ammonii oxalici soluti *guttis octo*, intra sexagesimam partem horae ne mutetur. Tartarus depuratus, cum Liquore Natri caustici calefactus, Ammonium ne emittat.

Tartarus natronatus.

Columellae coloris expertes, pellucidae, in Aquae *partibus 1,4* ad liquorem neutralem solubiles, qui liquor, addito Acido acetico, sedimentum demittit album, crystallinum, in Acido hydrochlorico nec non in Liquore Natri caustici facile solubile. In balneo aquae ad liquorem coloris expertem liquescunt, qui fervore aucto Aquam amittit et odorem Sacchari tosti exhalans in massam atram abit. Haec autem, Aquae ope extracta, liquorem alcalinum praebet, qui exhalatus residuum album, flammae colorem flavum inducens relinquit.

Solutio aquosa (1 = 10) ne Liquore Ammonii sulfurati aut Ammonio oxalico neve, Acido hydrochlorico addito, si Tartarum expulsum removeris, Aqua hydrosulfurata aut Baryo nitrico mutetur; eadem Acido nitrico acidulata, adjecto Argento nitrico, tantummodo opalescat.

Tartarus natronatus, cum Liquore Natri caustici calefactus, Ammonium ne emittat.

Tartarus stibiatus.

Crystalla alba vel pulvis crystallinus, paullatim fatiscens. In Aquae frigidae *partibus septendecim*, in ebullientis *tribus* solubilis, in Spiritu non solubilis; fervefactus carbonescit. Solutio aquosa reactionis leviter acidae, saporis nauseosi, dulciculi, si Aquam Calcariae addideris, sedimentum praebet album, in Acido acetico facile solubile; Acido hydrochlorico acidulata,

adjecto Hydrogenio sulfurato, sedimentum demittit coloris e rubro fusci.

Tartari stibiati *gramma dimidium*, quod in *grammatis decem* Acidi hydrochlorici frigide solveris et *guttis duabus* Aquae hydrosulfuratae recenter saturatae temperavis, ne per quattuor quidem horas sepositum flavescat neve praecipitetur.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 0,2.
Dosis maxima pro die 0,5.

Terebinthina.

Succus resinosus, quem offerunt Abietineae, praecipue **Pinus Pinaster** et **Pinus Laricio**; cujus succi *centum partes* ex *septuaginta* ad *octoginta quinque* resinae et *triginta* ad *quindecim* Olei Terebinthinae constant. Terebinthina est spisse liquida, odoris specialis, saporis amari. Sedimentum crystallinum turbidum, quod in ea plerumque inest, calore balnei aquae in Terebinthina limpide solvitur; quo facto Terebinthina est coloris e flavo subfusci, brevi autem denuo turbatur. Cum Spiritus *pondere quintuplo* solutionem limpidam efficit, quae chartam exploratoriam Aqua humectatam valde rubefacit.

Thymolum.

Crystalla speciosa, coloris expertia, pellucida, Thymum redolentia, saporis aromatici; calore 50 ad 52°

liquescunt, calore 228 ad 230° ebulliunt. In Aquam injecta imam petunt, liquefacta Aquae supernatant. Solubilia sunt in Spiritus, Aetheris, Chloroformii minore quam *aequali pondere*, in Liquoris Natri caustici *partibus duabus*, in Aquae *mille centum;* cum vaporibus Aquae facile aufugiunt.

Thymolum, in *pondere quadruplo* Acidi sulfurici frigide solutum, liquorem praebet coloris subflavi, si leniter calefeceris, in belle roseum abeuntis. Quam solutionem, in *volumen decemplex* Aquae infusam, si Cerussa in excessu addita digesseris, id, quod filtrando effeceris, *exigua parte* Ferri sesquichlorati admixta, colorem belle e violaceo caeruleum ducit. Solutio aquosa, vapore Bromi introducto, sedimentum album demittit.

Solutio aquosa sit neutralis; Ferro sesquichlorato ne coloretur. Thymolum in patella non tecta calori balnei aquae objectum aufugiat.

Tincturae.

Tincturas, nisi aliud praescriptum erit, eo modo para, ut substantias, aut minutim concisas aut grossum in modum pulveratas, postquam liquore ad extrahendum apto superfuderis, in lagena clausa loco opaco calore circiter 15° per hebdomadem saepius agitando maceres. Tum liquorem colando et — si necesse fuerit — exprimendo a residuo non soluto separa et, postquam subsederit, filtra. Inter filtrationem quam maxime prohibere velis, ne liquor exhaletur.

Tincturae ne dispensentur nisi limpidae.

Tinctura Absinthii.

Ex

Herbae Absinthii *parte una* 1

et

Spiritus diluti *partibus quinque* 5

paranda.

Tinctura coloris ex subfusco perviridis, saporis peramari, odoris qualis est Herbae Absinthii.

Tinctura Aconiti.

Ex

Tuberum Aconiti *parte una* 1

et

Spiritus diluti *partibus decem* 10

paranda.

Tinctura coloris e fusco flavi, et odoris et saporis distincti expers.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 0,5.

Dosis maxima pro die 2,0.

Tinctura Aloës.

Ex

Aloës *parte una* 1

et

Spiritus *partibus quinque* 5

paranda.

Tinctura coloris e subviridi perfusci, saporis peramari.

Tinctura Aloës composita.

Ex

Aloës *partibus sex* 6,
Radicis Rhei *parte una* 1,
Radicis Gentianae *parte una* 1,
Rhizomatis Zedoariae *parte una* 1,
Croci *parte una* 1,
Spiritus diluti *partibus ducentis* 200

paranda.

Tinctura coloris e subflavo et rubro fusci, odoris aromatici, qualis est Croci et Aloës, saporis aromatici, peramari, quae cum Aqua qualibet proportione mixta non turbatur.

Tinctura amara.

Ex

Radicis Gentianae *partibus tribus* 3,
Herbae Centaurii *partibus tribus* 3,
Corticis Fructus Aurantii *partibus duabus* 2,
Fructuum Aurantii immaturorum *parte una* .. 1,
Rhizomatis Zedoariae *parte una* 1,
Spiritus diluti *partibus quinquaginta* 50

paranda.

Tinctura coloris e subviridi fusci, odoris aromatici, saporis aromatici, amari.

Tinctura Arnicae.

Ex

Florum Arnicae *parte una* 1

et

Spiritus diluti *partibus decem* 10

paranda.

Tinctura coloris e subfusco flavi, saporis amari, odoris qualis est Florum Arnicae.

Tinctura aromatica.

Ex

Corticis Cinnamomi *partibus quinque* 5,
Rhizomatis Zingiberis *partibus duabus* 2,
Rhizomatis Galangae *parte una* 1,
Caryophyllorum *parte una* 1,
Fructuum Cardamomi *parte una* 1,
Spiritus diluti *partibus quinquaginta* 50

paranda.

Tinctura coloris e fusco rubri, et odoris et saporis peraromatici.

Tinctura Asae foetidae.

Ex

Asae foetidae *parte una* 1

et

Spiritus *partibus quinque* 5

paranda.

Tinctura coloris e subflavo et fusco rubri.

Tinctura Aurantii.

Ex

Corticis Fructus Aurantii *parte una* 1

et

Spiritus diluti *partibus quinque* 5

paranda.

Tinctura coloris e subrubro et flavo fusci, et odoris et saporis, qualis est Corticis Fructus Aurantii.

Tinctura Benzoës.

Ex

Benzoës *parte una* 1

et

Spiritus *partibus quinque* 5

paranda.

Tinctura coloris e subrubro et fusco flavi, odoris benzoïni, Aqua diluta fit liquor lacteus reactionis peracidae.

Tinctura Calami.

Ex

Rhizomatis Calami *parte una* 1

et

Spiritus diluti *partibus quinque* 5

paranda.

Tinctura coloris e subfusco flavi, odoris qualis est Rhizomatis, saporis amare aromatici, ustulantis.

Tinctura Cannabis Indicae.

Extracti Cannabis Indicae *partem unam* **1**
in
Spiritus *partibus novem et decem* **19**
solve.

Liquor perviridis odoris specialiter narcotici, saporis subamari; *parte* vel *exigua* Aquae turbatur, *volumine aequali* Aquae dilutus liquorem lacteum efficit, e quo brevi tempore resina copiosa praecipitatur.

Caute servetur.

Tinctura Cantharidum.

Ex
Cantharidum *parte una* **1**
et
Spiritus *partibus decem* **10**
paranda.

Tinctura coloris e subviridi flavi, saporis ustulantis, odoris qualis est Cantharidum.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 0,5.
Dosis maxima pro die 1,5.

Tinctura Capsici.

Ex
Fructuum Capsici *parte una* **1**
et

Spiritus *partibus decem* **10**

paranda.

Sit tinctura coloris e subrubro flavi, saporis ustulantis, acris, odoris non distincti.

Tinctura Castorei.

Ex

Castorei *parte una* **1**

et

Spiritus *partibus decem* **10**

paranda.

Tinctura coloris ex perrubro fusci, odoris fortis qualis est Castorei. Cum Aquae *volumine quadruplo* vel *quintuplo* commixta liquorem lacteum coloris luridi efficit, e quo conquassando resina copiosa praecipitatur, dum liquor ipse coloris paene expers et limpidus fit.

Tinctura Catechu.

Ex

Catechu *parte una* **1**

et

Spiritus diluti *partibus quinque* **5**

paranda.

Tinctura coloris ex perrubro fusci, non pellucida nisi in latum effusa, odoris haud distincti, saporis valde adstringentis, reactionis acidae. Ferro sesquichlorato addito colorem sordide viridem, cum paullulo Kalii chromici fervefacta colorem intense ceraseum ducit.

Tinctura Chinae.

Ex

Corticis Chinae *parte una* 1

et

Spiritus diluti *partibus quinque* 5

paranda.

Tinctura coloris e rubro fusci, saporis peramari.

Tinctura Chinae composita.

Ex

Corticis Chinae *partibus sex* 6,

Corticis Fructus Aurantii *partibus duabus* 2,

Radicis Gentianae *partibus duabus* 2,

Corticis Cinnamomi *parte una* 1,

Spiritus diluti *partibus quinquaginta* 50

paranda.

Tinctura coloris e rubro fusci, saporis aromatici, peramari, odoris qualis est et Corticis Cinnamomi et Corticis Fructus Aurantii.

Tinctura Chinioïdini.

Chinioïdini *partes decem* 10

in

Spiritus diluti *partibus octoginta quinque* 85

et

Acidi hydrochlorici *partibus quinque* 5

inter se mixtis solve, tum filtra.

Tinctura coloris perfusci, non pellucida nisi in latum effusa, saporis peramari, odoris haud distincti. Qua cum Aquae et Liquoris Ammonii caustici singulorum *volumine aequali* commixta, Chinioïdinum praecipitatur, dum liquor ipse flavidus remanet.

Tinctura Cinnamomi.

Ex

Corticis Cinnamomi *parte una* **1**

et

Spiritus diluti *partibus quinque* **5**

paranda.

Tinctura coloris e rubro fusci, saporis subdulciter aromatici, paullulum acerbi, qualis est Corticis Cinnamomi.

Tinctura Colchici.

Ex

Seminis Colchici *parte una* **1**

et

Spiritus diluti *partibus decem* **10**

paranda.

Tinctura coloris flavi, saporis amari, odoris non distincti.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 2,0.

Dosis maxima pro die 6,0.

Tinctura Colocynthidis.

Ex

Fructuum Colocynthidis cum seminibus *parte una* **1**

et

Spiritus *partibus decem* **10**

paranda.

Tinctura coloris flavi, saporis peramari, odoris non distincti.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 1,0.

Dosis maxima pro die 3,0.

Tinctura Croci.

Ex

Croci *parte una* **1**

et

Spiritus diluti *partibus decem* **10**

paranda.

Tinctura coloris intense aurantiaci, et odoris et saporis Croci.

Tinctura Digitalis.

Ex

Foliorum Digitalis siccatorum *parte una* **1**

et

Spiritus diluti *partibus decem* **10**

paranda.

Tinctura coloris perviridis, odoris qualis est Foliorum, saporis amari.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 1,5.
Dosis maxima pro die 5,0.

Tinctura Ferri acetici aetherea.

Liquoris Ferri acetici *partibus octoginta* **80**
calorem quam maxime evitans admisce
Spiritus *partes duodecim* **12**
et
Aetheris acetici *partes octo* ..... **8.**

Liquor limpidus, intense ex fusco ruber, non pellucidus nisi in latum effusus, Aetherem aceticum redolens, saporis acidule constringentis, acerbi; cum Aqua qualibet proportione mixtus non turbatur; ponderis specifici 1,044 ad 1,046. In *centum partibus partes quattuor* Ferri continet.

A luce remota servetur.

Tinctura Ferri chlorati aetherea.

Liquoris Ferri sesquichlorati *partem unam* **1,**
Aetheris *partes duas* **2,**
Spiritus *partes septem* **7**

inter se mixtas in lagenis albis, non prorsus repletis, subere bene clausis solis radiis expone, donec color plane aufugerit. Quas loco opaco sepositas interdum aperi, donec id, quod inest, colorem flavum reduxerit.

Liquor limpidus, flavus, odoris aetherei, saporis ustulantis ejusdemque ferruginantis; Aqua dilutus, si Kalium ferro-cyanatum flavum aut Kalium ferri-cyanatum rubrum adjeceris, sedimentum caeruleum, sin Liquorem Ammonii caustici, sedimentum nigrum, sin Argentum nitricum, sedimentum album demittit. Ponderis specifici 0,850 ad 0,854. *Centum partes* continent Ferri *partem unam.*

E mixtura, quae habet *centimetros cubicos decem* Tincturae et *centimetros cubicos decem* Liquoris Kalii acetici, si seposita erit, *centimetri cubici tres* liquoris aetherei separentur.

Tinctura Ferri pomata.

Extracti Ferri pomati *partem unam* **1,**
in
Aquae Cinnamomi *partibus novem* **9**
solutam, filtra.

Liquor ex nigro fuscus, odoris qualis est Corticis Cinnamomi, saporis ferruginantis, mitis; cum Aqua qualibet proportione mixtus non turbatur.

Tinctura Gallarum.

Ex
Gallarum *parte una* **1**
et
Spiritus diluti *partibus quinque* **5**
paranda.

Tinctura coloris e subflavo fusci, saporis vehementer constringentis, acerbi, reactionis acidae; cum Aqua quavis proportione mixta non turbatur, salibus Ferri oxydatis additis sedimentum demittit coloris e caeruleo nigri.

Tinctura Gentianae.

Ex

Radicis Gentianae *parte una* **1**

et

Spiritus diluti *partibus quinque* **5**

paranda.

Tinctura coloris e subflavo et fusco rubri, saporis peramari, odoris quem habet Radix.

Tinctura Jodi.

Jodi contriti *partem unam* **1**

in

Spiritus *partibus decem* **10**

non calefaciens solve in lagena epistomio vitreo clausa.

Liquor intense ex rubro fuscus, Jodum redolens, calore sine residuo volatilis, ponderis specifici 0,895 ad 0,898.

Grammata duo Tincturae Jodi, si *centimetros cubicos viginti quinque* Aquae, *gramma dimidium* Kalii jodati, *aliquam partem* Solutionis Amyli addideris, *centimetros*

cubicos 13,8 ad *14,3* Liquoris Natrii thiosulfurici volumetrici requirant, ut Jodum adnectatur.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 0,2.

Dosis maxima pro die 1,0.

Tinctura Ipecacuanhae.

Ex

Radicis Ipecacuanhae *parte una* **1**

et

Spiritus diluti *partibus decem* **10**

paranda.

Tinctura coloris e subrubro et fusco flavi, saporis subamari.

Caute servetur.

Tinctura Lobeliae.

Ex

Herbae Lobeliae *parte una* **1**

et

Spiritus diluti *partibus decem* **10**

paranda.

Tinctura coloris e fusco viridis, odoris parum distincti, saporis nauseose acris.

Dosis maxima singula 1,0.

Dosis maxima pro die 5,0.

Tinctura Moschi.

Ex

Moschi *parte una* 1,
Spiritus diluti *partibus viginti quinque* 25,
Aquae *partibus viginti quinque* 25

ita paranda, ut Moscho, cum Aqua contrito, Spiritus addatur.

Tinctura coloris e subrubro fusci, odoris fortis et penetrantis, qualis est Moschi; cum Aqua quavis proportione mixta non turbatur.

Tinctura Myrrhae.

Ex

Myrrhae subtiliter pulveratae *parte una* 1

et

Spiritus *partibus quinque* 5

paranda.

Tinctura coloris e subrubro flavi, odoris qualis est Myrrhae, saporis amari, ustulantis, aromatici; addita Aqua, liquor lacteus efficitur.

Tinctura Opii benzoïca.

Ex

Opii pulverati *parte una* 1,
Olei Anisi *parte una* 1,
Camphorae *partibus duabus* 2,

Acidi benzoïci *partibus quattuor* **4,**
Spiritus diluti *partibus centum nonaginta duabus* **192**
paranda.

Tinctura coloris e subfusco flavi, Oleum Anisi et Camphoram redolens, saporis fortiter aromatici, subdulcis, reactionis acidae. In *grammatis centum* partem solubilem *grammatis dimidii* Opii continet, id quod respondet Morphini grammatis propemodum *0,05.*

Caute servetur.

Tinctura Opii crocata.

Ex

Opii pulverati *partibus triginta* **30,**
Croci *partibus decem* **10,**
Caryophyllorum *partibus duabus* **2,**
Corticis Cinnamomi *partibus duabus* **2,**
Spiritus diluti *partibus centum quinquaginta* .. **150,**
Aquae *partibus centum quinquaginta*..... **150**
paranda.

Tinctura coloris saturate fulvi, diluta pure flavi, odoris qualis est Croci, saporis amari, ponderis specifici 0,980 ad 0,984.

In *grammatis centum* partem solubilem *grammatum* circiter *decem* Opii continet, id quod respondet Morphini *grammati* propemodum *uni.*

Grammata quadraginta Tincturae Opii crocatae, *grammata decem* Aetheris, *gramma unum* Liquoris Ammonii caustici postquam pensa in aliquod vas immiseris, hoc fortiter conquassatum claude et per horas duodecim

calore 10 ad 15° interdum conquassans sepone. Tum eo, quod vase continetur, in parvulum filtrum pensum (*octoginta millimetrorum* diametro) translato: crystalla Morphini, quae liquore delapso remanserint, mixtione ex Spiritus diluti, Aquae, Aetheris singulorum *grammatis binis* constante bis eluta, una cum filtro calore 100° sicca. Cujus Morphini pondus ne sit minus quam *grammatum 0,38.*

Caute servetur.

Dosis maxima singula 1,5.
Dosis maxima pro die 5,0.

Tinctura Opii simplex.

Ex

Opii pulverati *parte una* **1,**
Spiritus diluti *partibus quinque* **5,**
Aquae *partibus quinque* **5**

paranda.

Tinctura coloris e subrubro fusci, odoris Opii, saporis amari, ponderis specifici 0,974 ad 0,978.

In *grammatis centum* partem solubilem *grammatum* circiter *decem* Opii continet, id quod respondet Morphini *grammati* propemodum *uni.*

Grammata quadraginta, si eo modo, qui de Tinctura Opii crocata praescriptus est, examinaveris, ne minus Morphini praebeant quam *grammata 0,38.*

Caute servetur.

Dosis maxima singula 1,5.
Dosis maxima pro die 5,0.

Tinctura Pimpinellae.

Ex

Radicis Pimpinellae *parte una* 1

et

Spiritus diluti *partibus quinque* 5

paranda.

Tinctura coloris e subfusco flavi, odoris qualis est Radicis, saporis nauseosi, acris.

Tinctura Ratanhiae.

Ex

Radicis Ratanhiae *parte una* 1

et

Spiritus diluti *partibus quinque* 5

paranda.

Tinctura coloris vini intense rubri, diluta coloris qualis est Fructuum Rubi Idaei, odoris expers, saporis valde constringentis, acerbi.

Tinctura Rhei aquosa.

Radicis Rhei *partes centum* 100,
Boracis *partes decem* 10,
Kalii carbonici *partes decem* 10,
Aquae *partes nongentas* 900,
Aquae Cinnamomi *partes centum quinquaginta* 150,
Spiritus *partes nonaginta* . . . . . 90.

Radicem Rhei non nimis subtiliter concisam et cribrando pulvere liberatam, Boracem, Kalium carbonicum,

Aqua ebulliente superfusa, in vase clauso per horae quadrantem ad extrahendum sepone, tum Spiritum admisce. Jam una hora circumacta, panno laneo cola, portionem non solutam leniter exprimens. Denique *partibus octingenis quinquagenis* colaturae *centenas quinquagenas* Aquae Cinnamomi admisce.

Tinctura coloris e perrubro fusci, non pellucida nisi in latum effusa; cum Aqua mixta non turbatur; odoris et saporis qualis est Radicis Rhei.

Tinctura Rhei vinosa.

Ex

Radicis Rhei *partibus octo* 8,
Corticis Fructus Aurantii *partibus duabus* . . . 2,
Fructuum Cardamomi *parte una* 1,
Vini Xerensis *partibus centum* 100

tincturam para, in qua filtrata solvatur ponderis sui *pars septima* Sacchari.

Tinctura coloris e flavo fusci, qui Alcali aliquo addito in colorem e fusco rubrum transit, odoris qualis est Fructuum Cardamomi, saporis dulcis, aromatici; cum Aqua ita misceri potest, vix ut ulla turbatio percipiatur.

Tinctura Scillae.

Ex

Bulbi Scillae *parte una* 1

et

Spiritus diluti *partibus quinque* **5**

paranda.

Tinctura coloris flavi, odoris levis, saporis nauseose amari.

Tinctura Strychni.

Ex

Seminis Strychni *parte una* **1**

et

Spiritus diluti *partibus decem* **10**

paranda.

Tinctura coloris flavi, saporis peramari. Cujus nonnullae guttae, in lamina porcellanica exhalatae, residuum relinquunt, quod addito Acido nitrico colorem e flavo rubrum trahit.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 1,0.

Dosis maxima pro die 2,0.

Tinctura Valerianae.

Ex

Radicis Valerianae *parte una* **1**

et

Spiritus diluti *partibus quinque* **5**

paranda.

Tinctura coloris e subrubro fusci, et odoris et saporis fortis, quales sunt Radicis Valerianae.

Tinctura Valerianae aetherea.

Ex

Radicis Valerianae *parte una* 1

et

Spiritus aetherei *partibus quinque* 5

paranda.

Tinctura coloris flavi, et odoris et saporis, quales sunt partium adhibitarum.

Tinctura Veratri.

Ex

Rhizomatis Veratri *parte una*. 1

et

Spiritus diluti *partibus decem* 10

paranda.

Tinctura coloris e subrubro perfusci, saporis amari, acris.

Caute servetur.

Tinctura Zingiberis.

Ex

Rhizomatis Zingiberis *parte una* 1

et

Spiritus diluti *partibus quinque* 5

paranda.

Tinctura coloris e fusco flavi, odoris qualis est Rhizomatis Zingiberis, saporis ustulantis.

Tragacantha.

Mucedo ad laminas striasque taeniatas aut falciformes indurata et ex trunculis excepta, quos offerunt multae Astragalorum species in Asia Minore et Citeriore nascentes, ut **Astragalus ascendens, Astragalus leioclados, Astragalus brachycalyx, Astragalus gummifer, Astragalus microcephalus, Astralagus pycnoclados, Astragalus verus.** Eligendae sunt notae, quae constant ex frustis striatis albis, diaphanis, non crassioribus quam *millimetros* circiter *unum* ad *tres* neque minus quam *centimetrum dimidium* latis.

Tragacantha, Aqua superfusa, valde intumescit; pulverata, *partibus quinquaginta* Aquae admixtis, mucilaginem praebet turbidam, lubricam, inertem, quae addito Liquore Natri caustici colorem flavum trahit. Qua mucilagine Aqua diluta et filtrata, id, quod in filtro restiterit, si Jodo consperseris, colorem e nigro caeruleum ducit, nec vero liquor delabens, Aqua jodata admixta, caeruleus fit.

Trochisci.

Ad Trochiscos saccharatos parandos tota substantia medicata cum tanta Sacchari pulverati copia diligenter commisceatur, ut singulorum trochiscorum inde effectorum pondus sit *grammatis unius;* tum Spiritu diluto caute adjecto, in pulverem humidum redigatur, qui compressus massam cohaerentem praebeat. Ex hoc pulvere Trochiscorum numerus, qui requiritur, formetur.

Ad Trochiscos cacaotinos parandos massam cacaotinam, ex *partibus aequalibus* Cacao et Sacchari constantem, in balneo vaporis liquefacе, ejusque tantam portionem cum medicamenti copia adhibenda diligenter commisce, ut singulorum Trochiscorum pondus sit *grammatis unius.* E massa semirefrigerata formetur Trochiscorum numerus, qui requiritur.

Trochisci Santonini.

Trochisci qui singuli contineant Santonini *grammata 0,025.*

Tubera Aconiti.

Tubera rapiformia, quae offert **Aconitum Napellus,** *grammatum* circiter *sex* pondere; in superiore parte circiter *centimetros* summum *duo* crassa, *centimetros tres* ad *octo* longa sunt et plerumque lentissime in apicem simplicem transeunt. Superne exhibent residuum caulis breve vel gemmae fragmentum, in superficie coloris e griseo fusci, ad longitudinem valde rugosa crebri loci apparent, e quibus radices secundariae exeunt. Telae interioris albidae fractura est farinosa vel granulosa. Tubera sunt saporis acris, constringentis.

Caute serventur.

Dosis maxima singula 0,1.
Dosis maxima pro die 0,5.

Tubera Jalapae.

Tubera, quae offert **Ipomoea Purga**; plerumque sunt pyriformia aut paullum elongata, diametro minore quam *centimetri unius*, magnitudine pugnum superantia; apice plerumque brevi terminantur, parte superiore residua caulium brevia *millimetros* dumtaxat *paucos* crassa gerunt. Superficies rugosa, gibbosa coloris e griseo fusci neque foliorum stigmata neque radices secundarias praebet. Telae densissimae fractura est laevis, farinosa aut cornea, neque lignosa neque fibrosa, in eaque, cujus est color principalis albidus vel e griseo subfuscus, dignoscuntur cellulae resiniferae pullae, quae, per zonas concentricas dispositae, fasciculis vasorum radiatis non separantur. Tubera Jalapae saporis sunt insipidi, deinde acris, odoris saepe fumidi. Quorum *partes centum* si eodem modo, qui de Resina Jalapae praescriptus est, tractatae erunt, ne minus contineant quam *partes decem* resinae talis, qualis ibi descripta est.

Caute serventur.

Tubera Salep.

Tubera globosa vel pyriformia, quae offerunt variae Ophrydeae et orientales et domesticae, ut **Orchis mascula, Orchis militaris, Orchis Morio, Orchis ustulata, Anacamptis pyramidalis, Platanthera bifolia.** Tuberum tempore floris vel proxime insequente effodiendorum ea, quae caules gerunt, amoventur, reliqua in Aquam

ebullientem immersa terguntur et siccantur. Quo facto Tubera sunt *centimetrum dimidium* ad *duo* crassa, ad *centimetros* summum *quattuor* longa, superficie plerumque paullum aspera, coloris clari, e subfusco grisei vel flavidi; vertice stigma gemmae caulinae praebent. Tela, ne intus quidem pulla, durissima est et cornea; Tubera Salep pulverata, si cum *partibus quinquaginta* Aquae coxeris, mucilaginem inertem, refrigeratione facta satis rigidam efficiunt, quae Jodo adjecto colorem caeruleum trahit.

Unguenta.

In Unguentis parandis ita procedendum est, ut partes difficilius liquescentes per se aut, postquam paullum substantiarum facilius liquescentium adjeceris, liquefacias et tum demum facilius liquescentes massae liquefactae paullatim addas, qua in re cave ne, nisi necesse sit, calorem augeas.

Unguenta tantummodo e cera aut resina cum adipe vel oleo composita, partibus singulis colliquefaciendo confusis, perpetuo agita, quoad plane refrigerata erunt. Substantias Aquam continentes Unguentis refrigescentibus agitando admisce. Si substantias pulviformes adjici oportet, has subtilissime pulveratas et, si opus fuerit, Aqua laevigatas ita adhibe, ut antea cum exiguo Oleo vel Unguento liquefacto aequaliter conteras.

Extracta aut sales, priusquam Unguentis admisceantur, cum exigua Aqua conterenda aut in Aqua solvenda

sunt, excepto Tartaro stibiato, quem, ad pulverem subtilissimum siccum redactum, admisceri oportet.

Unguenta omnia sint compositionis aequabilis, odoris non rancidi; formationes mucidas ne praebeant.

Unguentum basilicum.

Olei Olivarum communis *partes quadraginta quinque* **45,**
Cerae flavae *partes quindecim* **15,**
Colophonii *partes quindecim* **15,**
Sebi ovilis *partes quindecim* **15,**
Terebinthinae *partes decem* ..... **10.**

Sit coloris e flavo fusci.

Unguentum Cantharidum.

Cantharidum crasse pulveratarum *partes duas* **2,**
Olei Olivarum *partibus octo* **8**

superfusas, per horas decem in balneo vaporis digere, tum oleum, quod exprimendo effeceris, filtra.

Ex

Olei filtrati *partibus septem* **7**

et

Cerae flavae *partibus tribus* **3**

unguentum para.

Sit coloris flavi.

Unguentum cereum.

Ex

Olei Olivarum *partibus septem* 7

et

Cerae flavae *partibus tribus* 3

parandum.

Sit coloris flavi.

Unguentum Cerussae.

Ex

Cerussae *partibus tribus* 3

et

Unguenti Paraffini *partibus septem* 7

parandum.

Sit unguentum albissimum.

Unguentum Cerussae camphoratum.

Ex

Unguenti Cerussae *partibus nonaginta quinque* 95

et

Camphorae pulveratae *partibus quinque* 5

parandum.

Sit unguentum album, Camphoram redolens.

Unguentum diachylon.

Emplastri Lithargyri *partes quinque* 5
eluendo a Glycerino et seponendo in balneo aquae ab Aqua libera, deinde cum
Olei Olivarum *partibus quinque* 5
leni calore in balneo aquae liquando confusas agita, donec prorsus refrigeratae erunt. Unguentum confectum, postquam per aliquot horas seposueris, iterum agita.
Sit unguentum prope album.

Unguentum Glycerini.

Tragacanthae pulveratae *parti uni* 1
cum
Spiritus *partibus quinque* 5
contritae admisce
Glycerini *partes quinquaginta* ..... 50.
Quam mixtionem in balneo vaporis caleface.
Unguentum album, diaphanum, aequabile.

Unguentum Hydrargyri album.

Ex
Hydrargyri praecipitati albi *parte una* 1
et
Unguenti Paraffini *partibus novem* 9
parandum.
Unguentum album.

Unguentum Hydrargyri cinereum.

Adipis suilli *partes tredecim* **13**
cum
Sebi ovilis *partibus septem* **7**
leni calore colliquefacе. Mixtionis prorsus refrigeratae *partes tres* cum
Hydrargyri *partibus decem* **10**
in patina ferrea contere.

Metallum per portiunculas minutas ita admisce, ut novam quantitatem tum demum adjicias, cum sine adjumento optico granula Hydrargyri dignoscere jam non possis. Postremo residuo mixtionis sebacicae adjecto, totum subtilissime misce.

Unguentum e subcaeruleo griseum, in quo Hydrargyri granula sine adjumento optico non sint cognoscenda.

Grammata tria Unguenti, adipe Aetheris ope remoto, *gramma* prope *unum* Hydrargyri praebeant.

Unguentum Hydrargyri rubrum.

Ex
Hydrargyri oxydati *parte una* **1**
et
Unguenti Paraffini *partibus novem* **9**
parandum.

Sit unguentum rubrum.

Unguentum Kalii jodati.

Kalii jodati *partibus viginti* 20,
in
Aquae *partibus decem* 10
solutis, admisce
Unguenti Paraffini *partes centum septuaginta* 170,
Unguentum album.

Unguentum leniens.

Ex
Cerae albae *partibus quattuor* 4,
Cetacei *partibus quinque* 5,
Olei Amygdalarum *partibus triginta duabus* ... 32,
Aquae *partibus sedecim* 16
parandum.

Cujus unguenti *grammatis quinquaginta* admisce *guttam unam* Olei Rosarum.

Unguentum album, molle.

Unguentum Paraffini.

Ex
Paraffini solidi *parte una* 1
et
Paraffini liquidi *partibus quattuor* 4
parandum.

Sit album, diaphanum, spissitudinis unguenti, calore 35 ad 45° liquefiat; microscopii ope contemplanti crystallulis trajectum esse appareat.

Unguentum Plumbi.

Ex

Adipis suilli *partibus nonaginta duabus* 92

et

Liquoris Plumbi subacetici *partibus octo* 8

parandum.

Unguentum album.

Unguentum Plumbi tannici.

Acidi tannici *partem unam* 1

cum

Liquoris Plumbi subacetici *partibus duabus* .. 2

ad pultem aequabilem contere, e qua ope

Adipis suilli *partium septendecim* 17

fiat unguentum.

Unguentum paullum subflavidum.

Ne paretur nisi ad dispensationem.

Unguentum Rosmarini compositum.

Ex

Adipis suilli *partibus sedecim* 16,

Sebi ovilis *partibus octo* 8,

Cerae flavae *partibus duabus* 2,

Olei Nucistae *partibus duabus* 2

miscendum.

Unguento confecto admisce

Olei Rosmarini *partem unam* 1
et
Olei Juniperi *partem unam* ..... 1.
Unguentum flavidum.

Unguentum Sabinae.

Ex
Extracti Sabinae *parte una* 1
et
Unguenti cerei *partibus novem* 9
parandum.
Sit unguentum fuscum.

Unguentum Tartari stibiati.

Ex
Tartari stibiati *partibus duabus* 2
et
Unguenti Paraffini *partibus octo* 8
parandum.
Sit unguentum album.

Unguentum Terebinthinae.

Ex
Terebinthinae,
Cerae flavae,
Olei Terebinthinae
singulorum *partibus aequalibus* parandum.
Unguentum molle, coloris flavi.

Unguentum Zinci.

Ex

Zinci oxydati crudi *parte una* 1

et

Adipis suilli *partibus novem* 9

parandum.

Unguentum album.

Veratrinum.

Pulvis albus, laxus, Aquae ebullienti perpaullum dumtaxat impertit; id, quod filtrando effeceris, saporis est acris, non amari; chartam exploratoriam rubram colore caeruleo non inficit nisi lente. In *partibus quattuor* Spiritus, in *duabus* Chloroformii Veratrinum solvitur, minus in Aethere; quae solutiones reactionis sunt valde alcalinae. Cum Acidis sulfurico aut hydrochlorico dilutis Veratrinum solutiones saporis amari et acris efficit. Idem cum Acido hydrochlorico ebulliente solutionem rubram praebet. Cum Acidi sulfurici *partibus centum* contritum efficit, ut hoc colore e viridi flavo, qui paullo post in rubrum abit, fluorescat. Veratrini in Acido sulfurico soluti stratum tenue, Saccharo pulverato conspersum, colorem ducit flavum, viridem, postremo caeruleum, qui, hora circumacta, pallescere incipit.

Cautissime servetur.

Dosis maxima singula 0,005.

Dosis maxima pro die 0,02.

Vinum.

Vina et domestica et aliena, aut alba aut rubra, praecipue etiam dulcia vina, omnia e succo uvae vitis parata.

Vinum camphoratum.

Camphorae *parti uni* **1,**
in
Spiritus *parte una* **1**
solutae, paullatim conquassando adde
Mucilaginis Gummi Arabici *partes tres* **3**
et
Vini generosi albi *partes quadraginta quinque*. **45.**

Liquor ex albido turbidus; antequam dispenses, conquassa.

Vinum Chinae.

Tincturae Chinae *partes centum* **100,**
Glycerini *partes centum* **100,**
Vini Xerensis *partes trecentas* **300,**
inter se mixtas et per hebdomades tres sepositas, filtra.

Sit limpidum, e fusco rubrum.

Vinum Colchici.

Seminis Colchici grosso modo pulverati *partem unam* **1,**
Vini Xerensis *partibus decem* **10**
superfusam, per dies octo macera, tum exprime; colaturam filtra.

Sit limpidum, coloris e flavo fusci.

Caute servetur.

Dosis maxima singula 2,0.
Dosis maxima pro die 6,0.

Vinum Ipecacuanhae.

Radicis Ipecacuanhae grosso modo pulveratae *partem unam* **1,**
Vini Xerensis *partibus decem* **10**
superfusam, per dies octo macera, tum exprime; colaturam filtra.

Sit limpidum, coloris e flavo subfusci.

Caute servetur.

Vinum Pepsini.

Pepsini *partibus quinquaginta* **50,**
cum
Glycerini *partibus quinquaginta* **50**
et
Aquae *partibus quinquaginta* **50**
ad pultem tenuem contritis, adde

Vini generosi albi *partes mille octingentas quadraginta quinque* **1845**

et

Acidi hydrochlorici *partes quinque*..... **5.**

Quam mixtionem in dies sex ita sepositam, ut saepius agites, filtra.

Sit liquor limpidus, subflavus.

Vinum stibiatum.

Tartari stibiati *partem unam*..... **1,**

in

Vini Xerensis *partibus ducentis quinquaginta*.. **250**

solutam, filtra.

Sit limpidum, coloris e fusco flavi.

Caute servetur.

Zincum aceticum.

Lamellae albae, nitidae, in Aquae frigidae *partibus 2,7*, in fervidae *duabus* nec non in Spiritus *35,6* solubiles; solutio aquosa acidula, addito Ferro sesquichlorato, colorem intense rubrum trahit et, addito Liquore Kali caustici, sedimentum demittit album, in hujus Liquoris excessu solubile; eadem Aqua hydrosulfurata iterum colore albo praecipitatur.

Solutio aquosa (1=10), Hydrogenio sulfurato abunde addito, sedimentum demittat pure album; filtrata et evaporata ne residuum in igne persistens relinquat. Zincum aceticum cum Acido sulfurico leniter concale-

factum ne nigrum ducat colorem. Idem in *partibus tribus* Aquae solutum, si Aqua diluere perrexeris, aut nequaquam aut perpaullum turbetur.

Caute servetur.

Zincum chloratum.

Pulvis albus, aëre facile dilabens vel perticulae albae, in Aqua et Spiritu facile solubiles; fervefactae liquescunt et forma vaporum alborum ita aufugiunt, ut residuum, quamdiu candeat, coloris flavi remaneat. Solutio aquosa reactionis acidae, Liquore Ammonii sulfurati addito, sedimentum album demittit; eadem, et Argento nitrico et Liquore Ammonii caustici adjecto, sedimenta alba praebet, quae in hujus Liquoris excessu solubilia sunt.

